








D. Carolus David Ilgen.

VITA

CAROLI DAVIDIS ILGENII

SCRIPSIT

FRIDERICUS CAROLUS KRAFT.





Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας,
οὐδὲ ἴδωμαι.

Cum effigie Ilgenii praefixa.

ALTENBURGI, 1837.
SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT H. A. PIERER.

PRAEFATIO.

Quae causae me impulerint, ut ad vitam Ilgenii scribendam aggrederer, satis, puto, dictum est principio huius libri. Paucis igitur praefandi negotio defungar. Ac primum quidem aperte fateor, me in gravissima re conficienda edidisse quae potuerim, non ut voluerim. Nam temporis partim angustiae coëgerunt, partim non pauca defuerunt, quae ad plenam vitae Ilgenianae narrationem pertinere videbantur. Per muneris autem rationes non licebat continenter versari in re proposita perficienda, sed horis subsicivis tantum, quae relictae erant, persequi eam poteram. Ita vero et orationis et narrationis quamdam natam

esse non dicam varietatem, sed dissimilitudinem, quis tandem reperietur, cui mirum videatur? Deinde ipsae res, de quibus exponendum erat, scribenti nonnumquam difficultatem attulerunt, ut facile iudicabunt, qui simile argumentum tractarunt. Accessit, quod Ilgenius ipse, quum discesseris a brevissima vitae adumbratione, quam olim Lipsiensis magisterii honores petens proposuerat, nihil de sua vita literis mandarat. Iam nota mihi quidem erat et cognita magna pars vitae praeceptoris desideratissimi, at opus erat de fatis, factis, moribus, meritis talis viri narranti notitia rerum accurata. In hac comparanda plures me benigne adiuverunt. Quo nomine inprimis laudanda est optima Ilgenii τοῦ μακαρίτου vidua, cuius singulari humanitate satis multa suppeditata sunt, quae ad primam et ad posteram mariti aetatem vitamque pertinebant.

Neque Constantinus filius mihi petenti defuit et lubenter ea suggessit, quae ad rem propositam iuvandam valebant. Pauca quaedam, sed pergrata illa mecum communicavit Godofredus Hermannus, cui institutum meum pro-

bari valde gaudebam. Praeterea non gravate mihi permiserunt, quae ad primam adolescentiam Ilgenii spectabant, aequales et condiscipuli, nunc sacrorum antistites gravissimi, Osswaldus et Ritterus. Gernhardus porro, Wimariensis gymnasii director clarissimus, Ilgenii olim, quum Numburgi scholae urbicae regundae praefuit, auditor et magister in paucis carus, de Numburgensi statione quaedam ad me perscripsit.

Denique nec praetermisi, quae in ephemeridibus literariis Halensis academiae de vita, rebus gestis et ingenio venerabilis viri breviter narrata exstant. Quae narrationi de vita factisque Rectoris Portensis laudatissimi addidi, lectoribus haud ingrata fore confido, praecipue viris, qui Portensis disciplinae quondam fuerunt alumni. His si mea qualiscumque scriptio placuerit, non poenitebit operae in hoc libello conficiendo collocatae. Istos autem homines, quibus in iudicandis aliorum scriptis id propositum est, ut labeculas quasque studiose investigent et cupide notent, quae laudem merentur, silentio praetermittant, meo libro absti-

neant velim. Bene quidem et ipse sentio minimeque dissimulo, non satis dignam esse hanc narrationem tanto viro, quantus fuit Ilgenius, mihi tamen solatio est conscientia, me ut vivi praeceptoris virtutes maximi fecerim, ita ex oculis sublati memoriam omni qua deceat pietate colendam esse censuisse.

Corrigenda.

Pag. 15. v. 15. l. *idque* pro *atque*.
— 29. v. 7. l. Burscherus pr. Buscherus.
— 35. v. 22. l. Ilgenio pr. Ilgenii.
— 37. v. 1. l. commilitonibus pr. commilitonum.
— 40. v. 25. l. corpore pr. corpere.
— 51. v. 21. l. penitus pr. penitius.
— 63. v. 13. l. multo pr. multa.
— 66. v. 26. l. sacri pr. sacris.
— 81. v. 20. adde post comma *non*.
— 109. v. 12. l. multo sanguine.
— 121. v. 11. l. abiisset pr. obiisset.
— 144. v. 23. l. commendationem.
— 145. v. 25. l. caruerunt.
— 170. v. 1. complectebatur pr. amplectebatur.
— 176. v. 10. l. quum.
— 185. v. 24. l. ornaretur.
— 229. v. 7. l. a Te.
— 235. v. 3. del. in.
— 240. v. 21. l. montis.
— 241. v. 28. l. invidus.
— 242. v. 21. l. Longus.
— 253. v. 21. l. primis.

Praeterea mihi ipsi scribenti exciderunt nescio quo pacto vocabula minus probata, ut *dissensus*, *defunctus*, *inclitus*, *indefessus*, *quantocius*, *nemine*, quae a Grammaticis subinde notata esse scio. Exciderunt etiam mihi nolenti periodorum exitus, qui proprii sunt versus hexametri. Haec et pauca alia, quae acerbiores censores reprehendere possint, aequi lectores facile excusabunt.

Prooemium.

Magnam iacturam fecerunt optimae literae obitu *Caroli Davidis Ilgenii*, et grande decus lumenque civitatis eruditae cum summo viro exstinctum esse, omnes, credo, qui talium rerum sunt idonei iudices, facile profitebuntur. Atque

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam mihi.

Gravem ego suscepi dolorem, quum primum allatus esset nuntius, supremum diem obiisse Ilgenium. Neque una erat aut levis lugendi causa. Fuit Ilgenius ex cunctis, qui in ludo Portensi mihi olim obtigerant, magistris solus adhuc superstes eoque mortuo occiderant omnes, qui animo ingenioque meo confor-

mando bene consuluerant. Discipulorum enim, quos habuit Portae, nescio an prius venerit in eius notitiam et amorem alius. Intercessit ipsi cum patruo, Progymnasii Dondorpiensis etiamnunc Rectore [1]), qui mihi puero studiorum doctorum exstitit auctor sapientissimus, vetus inde ab academico condiscipulatu consuetudo. In huius cognati domo vidi illum exoptatissimum hospitem, quum per ferias pentecostales Jenensis academiae amicum visere et rustico otio frui vellet, anno superioris saeculi extremo. Mihi deinde Portensis disciplinae alumno per quadriennium tot et tam luculenta suae erga me voluntatis documenta dederat, tam praeclare de meis studiis meritus erat, tam coniunctus mihi officiis et familiaritate usque ad summam aetatem fuerat, ut tamquam alterum parentem eum diligerem atque observarem, et magnorum, quibus me affecerat, beneficiorum auctorem venerarer. Quid mirum igitur, nuntium de obitu talis viri animo meo accidisse acerbissimum? Nam licet non ignorarem, parum commode valere venerandum senem atque caecitatis [2]) molestiam graviter ab eo sentiri: tamen non existimaram, animam eius ex huius vitae tenebris tam cito esse evolaturam.

Luctuoso illo tempore procul mihi ab urbis strepitu per silentia ruris ambulanti imago optimi viri in

tranquillas beatorum sedes evecti vividius quam prius ante oculos obversari solebat, ac magnum tam cari capitis desiderium animum meum tenebat. Solebam etiam, quo luctum meum lenirem, de vita Ilgenii scribenda cogitare, quae tamquam monumentum meae erga immortalem virum pietatis exstaret. At postea me diligentius hoc propositum mente mea volventem ac revolventem deterruit et rei bene gerendae difficultas, et ingenii mei scribendique facultatis mediocritas. Persuasum etiam habebam, reperiri in magno numero eorum, qui Ilgenii fuerant discipuli, non paucos, tam ingeniorum felicitate, quam doctrinae famaeque laude me praestantiores. Accessit, quod ipsum filium beati viri de vita patris expositurum esse nuntiabatur. Huius autem amici carissimi et meae qualiscumque olim disciplinae alumni suavissimi institutum turbare aut occupare nefas ducebam, itaque factum, ut consilium ante captum omitterem.

Res tamen aliter ac putaram evenit. Ilgenius filius, Joachimici Gymnasii, quod Berolini floret, Professor spectatissimus, tam graviter aegrotare coepit, et tam diu incommoda valetudine conflictatus est, ut a proposito exsequendo prorsus avocaretur. Et quum prius per literas a me certior factus esset, quam cogitationem de patris memoria commendanda concepissem;

amice et benigne me hortatus est, ut consilium intermissum revocarem, et, quam gratum sibi foret, si patris vitam, facta et mores narrarem, aperte ostendit, nec, cur ipse huic officio persolvendo non satis aptus esset, dissimulavit.

Victus igitur voluntate filii et mea erga venerabilem patrem pietate ductus accensusque facile spopondi, me facturum quantum per muneris rationem otiique angustias liceret. Praeterea tanto minus cunctandum censui, quod prius iam poterant exspectare, qui Ilgenium et vivum et mortuum colebant, fore ut scriberetur de meritis ac laudibus defuncti senis, quo clariorem, sapientiorem et melius meritum Rectorem schola Portensis non facile vidit ullum.

Dicam enim quod sentio et dicam aperte, dolui et miratus etiam sum, nondum exstitisse, qui Ilgenii de re literaria et scholastica merita paullo uberius persequeretur atque imprimis, quam egregius fuerit ludi Portensis moderator, vere planeque doceret. Invenit, qui summo viro successit, virtutum suarum praeconem disertum idque merito [3]): verum nec Ilgenius suis laudibus defraudandus est, nec diutius earum mentio silentio praetermittenda. Nam multo maiora, quam nonnulli vel parum iusti eius censores, vel vitae factorumque hominis modestissimi parum pe-

riti iudices arbitrari videntur, sunt Ilgenii merita in eam scholam, quam per triginta fere annos non minore fide ac prudentia, quam successu et gloria gubernavit. Quod qui in dubium vocare et viro excellentissimo coronam multa cum laude capiti haerentem detrahere conantur: nae isti malevoli obtrectatores non cognitum habuerunt Ilgenium, animam qua candidiorem terra tulit nullam.

Etenim quamquam non ii sumus, qui caeco studio capti temere huncce virum admiremur eumque omnibus numeris perfectum atque absolutum fuisse praedicemus: tamen diuturna cum ipso consuetudo ususque multus nobis persuasit, non potuisse scholae Portensi post Heimbachii obitum meliorem obtingere Rectorem, id quod pluribus docebitur, si perventum est ad eam partem vitae Ilgenianae, ubi de rebus Portensibus dicendum est.

Iam si quispiam dixerit, non opus esse literarum monumento, quo Ilgenii laudes virtutesque illustrentur et ornentur: ipsum suis factis exegisse monumentum sibi multo clarius et perennius, nec memoriam eius in animis discipulorum ulla umquam oblivione deletum iri: equidem facile concedo minimeque nego, haud indigere virum egregium nostro praeconio, neque dubito, fore ut nomen eius et memoria vivat, dum suus con-

stet liberalibus studiis et verae accurataeque doctrinae honos; sed pietas non tam postulare quam flagitare videtur, tanti viri memoriam ad posteritatem propagare omnique cura tueri atque stabilire. Habebunt in Ilgenio, qui ad similem laudem contendunt, exemplum singulare, quod intueantur, imitentur, aemulentur. Et quo rarius exsistere solent tales viri, qualis fuit Ilgenius, eo magis horum memoria colenda est omnibusque modis conservanda.

Neque tamen id mihi propositum est, laudationem — elogium vulgo vocant — praeceptoris desideratissimi scribere et rhetorum more excurrere in praeconia vitae, morum et rerum ab eo gestarum. Hoc si facere instituerem, verendum sane esset, ne irascerentur mihi manes optimi viri, quo non facile vidi aliquem modestius de suis virtutibus sentientem. Narrabo vere, simpliciter et ingenue, quaecumque de vita eius cognoscere potui, quae ipse vidi et audivi et quae scire eorum intererit, qui Ilgenium aut noverunt aut noscere cupiunt. Id vero institutum non impediet, quominus nostrum, ubi visum fuerit, iudicium interponamus, maxime in iis rebus, quibus ipsi interfuimus. Ita speramus, fore ut non prorsus displiceat hic libellus iis lectoribus, qui humanitatis sunt vere studiosi et recordatione eorum delectantur, qui,

dum vita viresque suppeterent, in iuventute conformanda et erudienda omnem operam, curam studiumque ponerent.

Atque his praemissis ad rem ipsam, quae agenda est, mihi transituro unum restat, ut ab iis, quicumque hanc scriptionem legent, etiam atque etiam petam, aequos sese integrosque iudices mihi praebeant, nec meae narrationis tenuitatem rerum, quae tradendae sunt, magnitudine metiantur. Neque mordicus teneant velim dictum illud Naeviani Hectoris [4]): Magnum virum nisi a laudato viro non satis laudari posse. Reperietur fortasse postea alius Ilgenianae vitae scriptor, qui plenius, doctius ornatiusque rem conficiat. Cui lubenter priores concedam et satis nunc habebo, si candidi lectores, me vere scripsisse et pietatis officio in optimum magistrum satisfecisse fateantur.

Carolus Davides Ilgen [*]) natus erat anno superioris saeculi millesimo septingentesimo sexagesimo tertio, die vicesimo sexto m. Februarii. Natalis locus est ignobilis et obscurus paene vicus Thuringiae in confiniis Electoratus Saxonici, qui olim fuit, et ducatus Saxo-Vimariensis, cui nomen est Sehna, non procul ille situs ab oppidulis Eckardtsberga et Buttstadio. Regio ista magis fertilitate agrorum, quam amoenitate locorum insignis dici potest. Patrem habebat Ioannem Davidem Ilgenium, vicino vico Marienthal, ubi parentes cauponam exercebant, oriundum, agri paullulum ibidem possidentem et liberorum paucitatem, quos viculus numerabat, primis literarum elementis et doctrinae christianae praeceptis instruentem. Mater vico Sehna oriunda erat, nomine Anna Rosina, e gente Krippendorfiana, mulier honesta, prudens et rerum domesticarum valde diligens. Erat omnino non quotidiana mulier, animi pariter ac mentis bonis praecellens, ut pietate, pudore, modestia, prudentia, docilitate, sollertia non mediocri; munditiei et boni ordinis studiosissima, filii quidem amantissima, nec tamen prava facilitate eum corrumpebat. Ea porro erat patientia et moderatione, ut mariti animum non raro effervescentem ira, difficilem saepe et morosum modo

temperaret ac regeret, modo placato et aequo animo toleraret. In patre autem cernebatur ingenium haud absurdum, docile et ad multas res aptum. Animo erat probo et candido, qui ab omni simulatione et dissimulatione abhorrebat; singulari praeterea fide, religione et constantia, quae nonnumquam pervicacia videri posset. Laboriosus idem erat, patiens, frugalis, paucis contentus. Desiderabatur in eo facilitas et suavitas morum; tetricum plerumque prae se ferebat vultum, quandam animi gravitatem; mollioribus non facile patebat sensibus; pectore clauso et ingenio ad suspicandum proclivi. Hic ubi initia puerilis institutionis domi perceperat, quamdiu per rem familiarem licebat, scholam Buttstadiensem frequentarat ibique non solum didicerat, quae necessaria tum habebantur, ad subolem rusticam erudiendam, sed satis versatus etiam erat in musicis, neque Latini sermonis imperitus. Fuit enim illis temporibus progymnasium Buttstadiense bene institutum et fama quadam celebratum. Qui animum ad humanitatis studia appulerant, ita conformabantur a magistris, ut possent inde ad academicas scholas transire. Ultimus eius scholae Latinae, quae appellabatur priusquam in civicam mutaretur, Rector erat *Schwabius* fabularum a Phaedro scriptarum editor clarissimus, paucis abhinc annis Vimariae mortuus.

Ilgenius pater in patrium vicum reversus non ita multo post eo loco, ubi filius natus est, tenui mercede proposita rusticorum natos docere coepit. Scholas habebat in domo viduae honestae Krippendorf, cui una erat filia cum aliquot filiis, quos diligenter

instituebat Ilgenius. Quadriennio post filiam et animo et ingenio commendatam matrimonio sibi iunxit. Erat autem infimi ordinis magister, quem coloni vocabant praeceptorem. Eiusmodi praeceptores vix tantum mercedis accipiebant, ut vitam misere tolerare possent. Victus et habitatio dabatur publice, id est hospitio rusticorum, quod alius quotidie praebere debebat, sustentabatur: sola habitatio non singulis diebus mutabatur. Ne locus quidem scholarum habendarum certus et fixus erat, sed plerumque variabat, nisi praeceptor ipse possideret domum, qua discipulos continere posset. Qua conditione praeceptorum rusticanorum nihil miserius, nihil indignius cogitari potest. Mercedis non tantum solvebatur, quantum famulis, qui equos asinosve curant, aut armentariis oviumve pastoribus, qui greges custodiunt et pascunt. At Ilgenii pater quum ipse haberet pauculos agros, facilius vivere poterat, praesertim quum uxorem non plane indotatam duxisset. Aestivis mensibus omne fere tempus ruri colendo tribuebatur, quoniam discipuli propter opera rustica domi retinebantur.

Vix praeterierat annus, quum uxor felici partu ederet puerulum, quem magno cum gaudio excipiebant iuveniles parentes ea prole aucti, quam maxime sibi exoptarant. Iam primo tempore aetatis tam validus erat tamque vegetus et alacer, ut faustissima quaeque sperare suos iuberet. Annum tertium ingressus impavidi et praesentis animi documenta plura edidisse narratur. Aliquando, ut unum ex multis referam, parvulus ille quum scalas stramineo tecto aedium ad-

motas vidisset, clam parentibus celeriter ad summum culmen escendit eoque veluti equo vectus audacter insidebat, scutica, quam manu tenebat, tecti verticem verberans, et tamquam praeclaro facinore glorians ac laetus, parentes gaudii sui testes advocavit.

In vico, quem diximus, Ilgenius puer, — unicum habebant parentes natum, — remanebat per quadriennium. Illo tempore exacto pater fama quadam et existimatione commendatus in pagum confinem traductus est, qui nominatur hodieque Burgholzhausen, ludimagistri munus suscepturus. Ibi erat aedes huic pago propria cum sacerdote peculiari, sacra apud rusticos faciente. Praeterea praedium satis amplum ibidem reperiebatur, cuius possessor erat comes Mareschallus. Hunc in locum cum parentibus abiit Ilgenius noster. Vix annum quintum compleverat, quum a patre impertiri coeptus est earum rerum scientia, quae disci ruri poterant. Mira quum esset filius docilitate et pater magna diligentia adeoque severitate, anno aetatis duodecimo tantum discendo profecerat, ut non modo ea teneret, quibus aetas puerilis instrui solet, sed in musicis quoque, in arte lineari atque in lingua Latina bene exercitatus erat. Habebat in patria domo condiscipulum, cognatum hominem, haud infelicis ingenii puerum, sed hic postea

ὤχετ' ἄϊστος, ἄπυστος.

Tempore, quod a scholis et discendi opera vacabat, puer Ilgenius parentes iuvabat in opere rustico faciendo. Nam stati muneris scholastici reditus ad-

modum tenues erant. Quicquid habebant agri, id suis manibus ipsos colere oportebat. Nec filii parcebatur viribus aut aetatulae. Severa omnino disciplina coërcebatur Ilgenii pueritia atque haec severitas non raro in duritiem quandam vertebat, id quod aliquoties Ilgenium narrantem audivi. Mater quidem patre paullo lenior erat, tamen Sabinae prope matris instar [6]) puerum docuerat

Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes.

Pater interdum praeter modum severus erat et puerilem animum non flectendum sapienti et moderata disciplina putabat, sed imperio duro et verberibus frangendum. Nec tamen haec severitas ex animo optimi filii expellere potuit pietatem, quam parentibus ad cineres usque servabat.

Neque innatus ille vigor et quaedam animi ferocia, quae in puero Ilgenio inerat, opprimi aut exstingui paterna severitate potuit. Nam licet domi assidue et lubenter disceret, aut alia pensa a parentibus proposita absolveret; tamen immixtus gregi aequalium tanta erat alacritate, tanto animo et consilio, tanta denique sollertia et calliditate, ut facile princeps commilitonum et esset et haberetur. At pater filium crebro usu cum feroci et agresti turba illorum puerorum efferari et depravari posse ratus, malebat eum domi retinere, et clanculum ex umbra paternae domus elapsum non raro graviter castigabat, praesertim si ex redeuntis filii facie

aut vestitu cognovisset, non levia facta esse inter pugnaces pueros certamina. Sed accidit, quod Romanus poëta canit:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Magnum in discrimen vocata est ipsa vita Ilgenii paullo post quam parentes migrarant Burgholzhusum. Ludimagistri enim liberi tentati fuerant variolarum morbo, quo illis temporibus tot millia hominum absumpta esse constat. Eodem malo affligitur brevi spatio interiecto Ilgenius puer et tam graviter aegrotat, ut medicus ipse diffideret nec, quid metueret, parentes celaret. Qui casus matri potissimum accidit acerbissimus, quae filiolum singulari amore prosequeretur. Sed opinione felicius res cessit et aliquot diebus post vis morbi naturae bonitate victa est ac puer ex incommoda valetudine emergere coepit pristinumque robur et vigorem pedetentim recuperare.

Maiore etiam malo nonnullis annis interpositis paene oppressus et interceptus esset eximiae spei filius, nisi manifesto et praesenti divinae providentiae praesidio ex aperto periculo ereptus esset. Parentes Ilgenii proficiscebantur ad mercatum Numburgensem, linorum et lanae aliquid ibi vendituri, ut mos erat agricolarum vicinae oppido regionis. Filius duodecim fere annorum Numburgi visendi valde cupidus multis precibus impetrat, ut nundinas illas celebratas obeundi sibi fiat potestas. Prope vicum Cusanum, ubi situm est Portense praedium Frenklau, puer exemplo comitis, qui erat filius coloni eiusdem pagi, inductus et accensus, per temonem gradiens in alterum equum escen-

dere conatur, sed fallente vestigio ita delapsus est, ut ante rotam plaustri prostratus obtereretur. Quo inopinato casu parentes perterriti accurrunt et filium pro mortuo tollunt. Qui fuerit luctus, qui miserorum parentum eiulatus, facilius cogitari, quam verbis dici potest. Defertur corpus pueri in propinquum vicum Cusanum, sed ecce in medio ponte, qui in Saala flumine factus est, quem exhalasse animam putarant, subito vitam recipit, sed verbum proferre nequit, quamquam audit parentes de sepulturae loco et modo colloquentes. Numburgum ubi ventum est, puer auditis organorum pneumaticorum in aede cathedrali sonis subito expergiscitur et plaustro relicto in mediam aedem procurrit, ut stupentes subsequi vix possent parentes. Advocatur medicus, qui pueri corpus spectet laesisque partibus remedia adhibeat. Verum praeter omnem opinionem nusquam gravius invenitur vulnus; vix vestigia rotae apparent, nulla parte ossium fracta. Tam mirabilem in modum effugerat mortem ante oculos positam!

Iam quum pater facile videret, quanta esset in filio docilitas discendique ardor, animum induxit, Carolum suum ita fingere et excolere, ut posset aliquando institutioni puerili apud rusticos aut in oppidulo vicino praefici. Quam provinciam quo rectius scitiusque administraret, filium, ubi tertium decimum annum ingressus est, Meissnero cuidam in disciplinam tradidit, qui propinquo in pago (Tromsdorf) sacrorum curam habebat. Ad hunc virum honestum, benignum, neque indoctum Ilgenius deductus est primo auctumno a. 1775. Meissnerus pater, iam sep-

tuagenarius, et oculorum imbecillitate laborans, filium sibi in munere gerendo vicarium dari curaverat [7]). Ambo in literarum studiis bene versati erant, hoc est, linguam Latinam, Graecam et Hebraicam ita callebant, ut puer Ilgenius ab iis tantum discere posset, quantum postulabatur ab eo, qui tertiae secundaeve classi gymnasii ascribi vellet. Neque hospites et peregrini erant in historia et geographia; artis etiam musicae scientia excellebant.

Ilgenii discipuli industria constans, quam non mediocriter adiuvabat ingenii felicitas, alacriores reddidit ipsos magistros, itaque factum est, ut docendi discendique negotium optime procederet. Pater Ilgenius quum valde exiguum scholarum honorarium solvere posset Meissnero, atque eo tempore, ubi summa erat annonae caritas, filius initio e parentum penu cibaria accipiebat, quae ipse plerumque pera linea aut corbi imposita secum afferebat diebus dominicis, ubi suos domi visere solebat. His quidem diebus poterat aliquid cibi calidi sumere; per reliquos dies coena cocta carebat. At haec paupertas non potuit compescere discendi ardorem, quo flagrabat ingeniosus puer; stimulos potius admovit discenti. Atque hac studii constantia et admirabili ad scientiam veterum literarum progressione ita sibi conciliavit praeceptorum animos, ut discipulum summae spei admoverent suae mensae et maiore etiam cura eius rationibus consulerent. Brevi enim videbant, Ilgenium non esse unum de multis neque vulgare in eo latere ingenium; posse eum ad doctrinae laudem olim pervenire ac bene de

re literaria merceri. Patri igitur auctores sunt, ut filium gymnasio erudiendum tradat et graviores deinde disciplinas in academia colere sinat, neve talem hominem ad ludimagistri rusticani humilitatem detrudat. Non invitus filii laudes pater audit; consilium magistrorum risu excipit idque perfici posse negat. Se tam tenui in re constitutum esse, ut sumptus tolerare nequeat; satius esse, si filius maioribus rebus omissis in honesta praeceptoris rusticani aut urbici conditione acquiescat.

At honesti illi viri, cognito disciplinae suae alumni ingenio et studio, non cedunt patri: acrius instant eumque precibus fatigant. Victus tandem declarat: se consilium illud non impediturum, sed suis sumptibus filium neque gymnasii institutionibus uti, neque academiae scholas frequentare posse; se pauperem esse, et vix tantum conficere posse, quantum necessarii vitae usus requirant. Viderint, inquit, magistri, unde filius impensas faciat, si altius evolare cupiat ac paternam conditionem contemnat.

Non deterrentur his dictis Meissneri, nec reprimitur filii studium ad altiora aspirans. Stat sententia: Ilgenium tradendum esse scholae urbicae, quae illis temporibus Numburgi satis florebat. Brevi tempore interiecto, quod maxime volunt, eventum habet. Mittitur pater ipse cum filio eiusque commilitone Numburgum. Primis post sollemnia paschalia, quae dicuntur, diebus a. 1777 venit Ilgenius iis doctrinis, quas antea commemoravi, bene instructus ad Rectorem scholae Numburgensis [8]). Instituitur profectuum ex-

ploratio, at parum accurata et iusta, neque respondet exitus expectationi Ilgeniorum. Locus assignatur novo discipulo in classe tertia, quae non optime audiebat nec satis digna erat novitio, qualem se praebuerat Ilgenius. Tristis redit domum pater, tristiorem relinquens in urbe filium. Cupide exspectant Meissneri patrem Ilgenium filii studiosissimi. Ubi optimi viri, quid discipulo Numburgi acciderit, resciscunt, iniuriam ei factam tam aegre ferunt, ut Meissnerus filius confestim Numburgum abire paret atque Ilgenium, nisi altiorem in classem recipiatur, scholae cathedrali tradere constituat. Adit Rectorem scholae, in quam deductus erat Ilgenius, et iusto inferiorem locum discipulo suo assignatum esse acerbe queritur; postulat, ut diligentius spectetur, quantum in antiquis literis profecerit. At non obsequitur Rector Meissneri voluntati suaque in sententia perseverat. Tum ille iusta ira accensus negat, discipulum suum in schola urbica remanere posse. Maestum adolescentulum adducit Meissnerus ad *Lobeckium*, scholae cathedralis Rectorem, cuius sub auspiciis docta studia hoc in ludo vigebant. Benigne accipitur advena, et progressibus diligentius, quam ante factum erat, exploratis, Ilgenius cum magno pristini doctoris gaudio secundae classi discipulorum ascribitur. Laetus discedit Meissnerus; alacrior ad discendum factus discipulus lubenter remanet Numburgi totumque antiquarum literarum cognitioni se dare incipit. Praeter Lobeckium, parentem Lobeckii illius, qui magna cum laude in academia Regiomontana antiquitatis stu-

dia docendo scribendoque iuvat atque ornat, obtigerunt Ilgenio *Braunius*, Conrector, *Tietzius*, collega tertius, *Meyerus*, Cantor, et *Ritterus*, scholae cathedralis Inspector et Pastor primarius, Hebraice satis doctus et in Theologia bene volutatus. Omnium doctissimus erat Lobeckius, nec contemnendi ceteri. Saepe Ilgenium honorifice de magistris suis loquentem audivi; neque sine grati animi significatione, quantum ipsis deberet, dissimulavit. Lubenter posthac Ilgenius narrabat, optime de se in scholam Numburgensem deducto meritum esse Braunium, quippe qui discendi cupiditatem, quam ex disciplina Meissneri attulisset, magis accenderit, poëtarum et historicorum amorem excitarit et animi ferociam, qua ista aetate non alienus fuerit, lenitate, consilio et gravitate sua temperaverit atque coërcuerit. Cui viro, ut gratum testaretur animum, Ilgenius ubi primum Decani philosophici ordinis in academia Ienensi munere fungebatur, magisterii honores detulit eoque ornamento mirifice optimum senem exhilaravit. Meyerum, virum honestum et Ilgenii valde studiosum, fere in unis musicis habebat magistrum, quoniam choro symphoniaco intererat, partim musices amore ductus, partim propter rei familiaris inopiam, cui subveniendum putabat nummulis, quos civium beneficentia per plateas cantantes discipuli colligebant. Parentes enim qua erant paupertate suppeditare non poterant, quae ad victum cultumque filii pertinebant. Hic igitur omni quo licebat modo conquirere coactus erat, quibus carere non poterat.

Vix credibile est, quibus angustiis conflictatus sit Ilgenius primis vitae Numburgensis annis. Saepe non aliud cibi potusque genus tempore meridiano datum erat quam panis sine ullo obsonio et mera aqua. A parentibus, si qua data esset opportunitas, mittebatur aliquid cibariorum, ut panes, butyrum, lardum, caseus, alia, quibus rusticorum paupertas vivit. Nummorum autem tanta erat penuria, ut lautiores cibos parare sibi non posset. Singulis septimanis semel bisve summum calidi cibi copia data erat. Quid? quod pro iusta coena binis et trinis etiam horis civium filios instituebat; unam scutellam caldae Arabicae compensabat institutione privata integrae horae. Posteris tamen annis adeptus est locum Choralistae, qui appellabatur, i. e. vicarii symphoniaci, qui Canonici vice ad aedem cathedralem matutinis et meridianis temporibus preces horarias quotidie decantaret [9]. Hoc cantandi munus summa obibat cura ac fide: neque poterat propter legum severitatem impune officium negligere. Per omne tempus, quo sustinebat vices Choralistae, semel abfuit precibus horariis, non sua tamen, sed aliorum culpa, qui hominem officii diligentissimum per iocum fallere cupiebant. Nocturno enim tempore fenestris Ilgeniani cubiculi liquido luto opacatis vigilantis alias discipuli sensus deceperant. Horologii cathedralis sono tandem audito de lectulo prosiluit, at sero. Quo ludibrio tam graviter irritatus est, ut eius machinatores male acciperet diuque iis succenseret. Tristi autem animo ad Meyerum Cantorem, Chorali-

starum praefectum, pergit ac modeste errato suo veniam petit. At magister, qui diligentiam Ilgenii in officio obeundo cognitam haberet, placido vultu et subridens, deprecantis orationem interpellans: Tibinc, Ilgen, inquit, humani aliquid accidit? Pro hoc cantandi labore solvebatur discipulo Ilgenio vile pretium, et dabatur praeterea singulis hebdomadibus aliquid panis. Extremo autem tempore scholastico factus est dux et magister chori symphoniaci, ex quo munere tantum capiebat fructum, quantum prioribus annis nulla opera et industria parare sibi poterat. Iam prius auctus erat beneficio mensae gratuitae, quam vocant, a Capituli episcopalis Decano, Seebachio, ad eximium adolescentem delato.

Quamquam Ilgenio primo vitae Numburgensis tempore cum magnis difficultatibus et acerbis rei nummariae angustiis pugnandum erat, tamen his rebus adversis, quae aliorum mentes facile afflixissent et ab ipso discendi studio avocassent, constans ac firmus eius animus frangi non potuit, neque doctrinae augendae ardor restingui. Illam sibi scripserat legem:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Hoc animi robur quum in omni parte vitae humanae admirandum est, tum maxime in iuvenili aetate, quae rerum externarum iniquitate multo facilius movetur et raro adversae fortunae flatibus resistit. Ilgenium contra eadem res magnis conatibus aptiorem reddidit, atque animus cum ipsis difficultatibus, quae obiiciebantur, mirabiliter auctus est. Consilium igitur

humanitatis studia percipiendi, quod patre invito et reluctante inierat, ita tenebat tamque constanter persecutus est, ut nullo impedimento abstrahi ab eo posset. Hinc factum, ut in literarum cognitione multum et celeriter proficeret ac plerosque condiscipulos in hoc genere superaret. Quid igitur mirum, quod magistris gratus acceptusque esset? His vero non solum industriam in discendo probabat, sed mores etiam vitaeque honestatem, qua unus fere omnium maxime excellebat.

Nihilominus si res animusque ferret, ad iocos et hilaritatem delabebatur, nec prorsus abhorrebat ab ea petulantia, quae propria est florentis aetatis. Ipse scholastici temporis recordans non sine magna quadam voluptate, quae ex vultu oculisque elucebat, ludicra illa narrabat, quibus olim interfuisset aut quae certe vidisset a commilitonibus excogitata. Horum mentionem si faceret, inprimis nominare solebat *Soergelium* quemdam, hominem ingeniosum et in eiusmodi rebus valde sollertem et ad ludibria comminiscenda plane natum factumque. Atque hoc quidem propterea attigimus, ne quis in eam opinionem adducatur, ut putet, Ilgenium fugisse omnem congressum hominum vitamque socialem et unice libris circumfusum literisque abditum semper latuisse domi. Verum si quando genio indulserat, acriore postea studio compensabat, quae propter nugas et ludicra fuerant intermissa.

Vivebat cum quibusdam commilitonum, quorum mores animosque perspexerat, coniunctissime, quo-



niam ab ipsa natura amicitiae et consuetudinis erat appetentissimus constantissimeque eos diligebat, quos sui vere amantes et studiosos cognovisset. Ex iis autem, quorum consuetudine praecipue delectabatur, commemorandi sunt: *Crain*[10]), item pauper, sed honestissimus et industria probatus discipulus, qui aliquamdiu contubernalis Ilgenii studiorumque eius socius et comes erat, postea ludimagister in vico Burghessler non procul Porta sito, cuius filius, nunc Wismariensis Gymnasii Rector meritissimus, patre mature mortuo, Ilgenium tamquam alterum parentem expertus est; *Friedelii* porro fratres, et morum et studiorum laude florentissimi, quos felicissime aemulabatur Ilgenius; *Osswaldus*, adolescens iis, quos laudavi, simillimus Ilgeniique postera etiam aetate amantissimus; *Soergelius*, homo eximio ingenio praeditus et literaria quadam fama nobilitatus; *Hauschild*, non minus ingeniosus et posthac amplissimo muneri in urbe Dresda praefectus; *Besserus*, postera aetate et iurisprudentia et rerumpublicarum scientia clarus, *Froehlichius*, candidus homo, neque indoctus, qui prope Numburgum in vico Goerschen sacra apud rusticos faciebat. Quos omnes usque ad extremam aetatem fido prosequebatur amore; plures tamen eorum ante Ilgenium diem supremum obierunt. Aliquam etiam notitiam contraxit cum Portensibus, quorum laudem aequiparare, nisi superare studebat, ut cum Fichtio, Seyffarto, Weisshuhnio, Kraftio.

Biennio in classe secunda Braunio duce et magistro transacto, Ilgenius, rei grammaticae funda-

mentis praeclare iactis, bene praeparatus inter classis primae cives ascriptus est. Ibi cunctas propemodum scholas habebat Lobeckius, accuratae doctrinae pariter ac singularis probitatis laude clarus, qui usque ad summam senectutem, hoc est usque ad primos huius saeculi annos magna cum fide munus suum administravit. Huius viri institutionibus se multum debere, grato animo Ilgenius profitebatur, et numquam nisi honorificentissime magistrum suum appellabat. Fuit Lobeckius Graece Latineque ita doctus, ut multum ex eius scholis proficerent discipuli: imprimis scribendi exercitationes prudenter regebat. Unde factum, ut Ilgenius hoc etiam nomine optime instructus ex eius disciplina prodiret. Praeterea de animo Ilgenii conformando bene merebatur. Hic enim quamvis optima esset indole omnisque honestatis studiosus; tamen vehementia quaedam ingenii ac ferocia in eo inerat, qua nonnumquam ita auferebatur, ut reprehendendi locum daret. Verum et Lobeckius et Braunius quum alias optimi adolescentis virtutes cognitas haberent, facilius condonabant peccata, ad quae ferocia ista abreptus fuerat. Namque interdum, si qua aliorum iniuria aut contumelia lacesseretur, tantopere exardescebat, ut modum excederet ac maiorem inferret, quam acceperat, iniuriam.

Ex more illius aetatis tractabantur fere sola Latina, Graeca, Hebraica, Theologica, musica; neglecta paene iacebant mathematica, geographia, historia et recentiorum linguarum, vel patrii sermonis cognitio. De quibus institutis nihil attinet hoc loco

quaerere atque disceptare. Ilgenius, quum bene instructus ab antiquitatis scientia ex secunda classe in superiorem ascendisset, facile poterat pensa, quae a Rectore proponebantur, peragere hisque peractis quod reliquum erat otii domesticis impendere studiis. Ex Romanis scriptoribus Ciceronem et Horatium, ex Graecis Homerum in deliciis habebat et cum utroque familiaritatem quamdam contrahebat. Id vero tanta faciebat cura, tanta industria, ut brevi prae ceteris probaretur magistro. Necessitate quidem coactus non exiguam partem temporis, quod a scholis publicis vacabat, et musicis exercitationibus et privatae puerorum institutioni tribuere debebat: tamen in tempore dispensando erat tam diligens, tam sollers, ut quae diurnis temporibus praetermissa erant, lucubrando supplere consuesset.

Praeter Graeca et Latina magno studio colebat etiam Hebraicam linguam, cuius amore Meissnerus animum eius imbuerat. Ita factum, ut multo plus in ea proficeret, quam vulgo in scholis minoribus profici solet. Nec satis habebat, unam Hebraicam linguam discere; sed quum sentiret erectioris ingenii adolescens, penitus et plene eam percipi non posse, nisi adiutrix accesserit aliarum dialecticorum Semiticarum scientia, has quoque attigit et suo Marte, ut aiunt, tam studiose tractavit, ut initia saltem Arabicae, Syriacae, Aethiopicae, Samaritanae, Chaldaicae et Copticae linguae perciperet. Quid? quod carmen gratulatorium septem dialectis Semiticis compositum scripsisse narratur. Quod studium magis

auctum est, quum ipsi contigisset, ex vindemiolis suis in auctione libraria, quae in domo defuncti sacerdotis in vicino pago Saaleck habebatur, biblia Arabica modico pretio comparare. Quis tandem non admiretur talis discipuli atque id aetatis raram cognitionis et scientiae cupiditatem? Quoties, quaeso, in gymnasiis nostris reperientur, qui talium rerum studio teneantur? At in tantula iam aetate elucebat, qualis et quantus aliquando futurus esset Ilgenius.

Per triennium fuerat Ilgenius Lobeckii in prima classe auditor, et licebat eximio discipulo quum per leges scholasticas, tum per profectus in literis factos ad altiores disciplinas discendas in academiam abire. Malebat tamen prudens homo diutius in scholae umbra latere et ea persequi studia, quibus tuto superstruitur graviorum doctrinarum cognitio. Videte optimi iuvenis modestiam consiliumque, et comparate cum eius facto tot adolescentulorum temeritatem et festinationem, qui, ubi vix primoribus, ut dicunt, labris eas literas gustarunt, quibus puerilis aetas ad humanitatem informanda est, satis sibi sapere videntur suamque doctrinam etiam admirantes ex vita umbratili et disciplinae scholasticae vinculis in lucem et libertatem academiarum quantocius evolare gestiunt! Neque postea Ilgenium poenituit, exspectando ad eam pervenisse maturitatem, qua tamquam firmissimo fundamento nititur accurata et frugifera disciplinarum ab academicis doctoribus tradendarum cognitio. Atqui hic non est praetereundum, quae fuerit magistrorum erga Ilgenium extremo anno scholastico benevolentia,

aequitas et prudentia. Qui quum bene nossent, alacrioris ingenii discipulum longe praecurrisse literarum scientia reliquos condiscipulos, hoc dederunt egregio adolescenti, ut vel domi sua potius coleret studia vel corpore magis quam animo in schola adesset et dum infirmiores docerent auditores, alias res ageret, ne ipsi bonae perirent horae et tarditas commilitonum taedium scholarum afferret.

Quarto anno in ea, quam diximus, classe superato et sexennio, quod tempori scholastico tribuerat, exacto, tandem discessum in Lipsiensem academiam parabat, eo quidem consilio, ut Theologiae studium cum antiquitatis eruditae studiis coniungeret. Quod qui faciunt, difficilem sane et arduam rem aggrediuntur, praesertim nostris temporibus, utriusque disciplinae terminis longius propagatis. Illa tamen aetate, ubi Ilgenius academica spatia ingrediebatur, vix alia iniri poterat via, quoniam profana, quae vocantur, studia multo artius copulata nexaque erant, quam nostra aetate. Nec potuit scholasticum munus suscipi, nisi ab eo, qui Theologiae scientiam profiteretur et rite probasset. Ilgenius porro ita paratus instructusque ad utrumque studiorum genus accessit, tantum ingenium, tantam industriam ad graviores disciplinas cognoscendas attulit, ut certo sperari posset, in utroque genere talem eum futurum esse, qualem postea evasisse constat.

Sed quo melius instructus erat a literis studiique alacritate et constantia, eo minus parata habebat ea praesidia et copias, quibus non facile careas,

si velis animo tranquillo, bono et laeto ad liberalia studia artesque incumbere. Non deerant beneficia et adiumenta patrum liberalitate iis destinata, qui morum honestate et felicioris ingenii laude et excultae mentis auctibus imprimis commendati essent. Neque Ilgenio talis magistrorum commendatio deerat: sed rure venerat in urbem; non habebat opulentos cognatos aut potentes patronos, qui plus gratiae quam virtuti tribuissent. Praeferebantur dignissimo iuveni oppidanorum filii, quamquam minus laudati et laudandi. Tenue igitur nactus est stipendium; a parentum autem paupertate tantulum accepit argenti, quantulum cogitari vix potest. Domo enim discedenti filio dedit pater septem imperiales, quibus accedebant pauculi nummi, quos Ilgenius Numburgi in futuros usus reservarat. Verum haec angustia rei nummariae animum eius non fregit, sed erexit. Curta supellectile ad migrationem comparata, non ita multo post sollemnia paschalia, anno superioris saeculi millesimo septingentesimo octogesimo tertio forti magnoque animo abiit Ilgenius Lipsiam, clarissimam Musarum sedem. Affluebat haec urbs eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis; florebat magna et merita fama virorum in omni genere optimarum literarum artiumque excellentium. Et quam gloriam peperere patres, digne tueri studuit posteritas. Sed ne ambitiose facere videar, nolo commemorare, quae decora praecipue ornarint inclitam academiam Lipsiensem.

Lipsiam ubi pervenit Ilgenius et a Burschero,

magistratum et fasces academiae tenente, in numerum studiosorum ascriptus est, primum circumspicit habitationem. Praebetur haec studioso novitio gratis eaque res gratissima ei accidit. Alia studiorum adiumenta nancisci non poterat. Pauculi, quos domo attulerat, nummi brevi exhausti erant; nec tam parvo Lipsiae quam Numburgi vivi poterat. Libri etiam emendi erant, quibus parandis vix sufficiebat paupercula crumena. Scholis tamen professorum, quae erat humanissimorum virorum liberalitas, licebat gratis interesse. Neque tamen rei familiaris angustiae discendi ardorem, quem ad nova studia in academia colenda attulerat, compescere poterant, ad maiores etiam conatus animum ipsius acuebant et currenti calcaria addebant. Verbis dici non potest, quanta cura et industria ad eas doctrinas incubuerit, quas adhuc vel gustarat, vel nondum attigerat. Et plus temporis iis tribuisset, nisi necessitas eum coëgisset, partim privata institutione, partim typographica pericula corrigendi labore rei nummariae tenuitatem sublevare. Primo maxime tempore Lipsiensis vitae paupertatis molestiam graviter sentiebat, ac nisi summa frugalitate et admirabili discendi cupiditate, adde, animi quadam magnitudine erectus sustentatusque fuisset, rerum suarum iniquitati et asperitati facile succumbere potuisset. Non raro enim ad eamdem, quam Numburgi expertus erat, conditionem redactus erat et unde necessarios sumptus faceret, vix inveniebat. Verum accidit, quod est apud Maronem:

labor omnia vicit
Improbus et duris urgens in rebus egestas.

Quum Ilgenio, ut vidimus, propositum esset, antiquitatis studia cum Theologia coniungere, optimos quosque in utroque genere disciplinarum doctores audiebat. Ad sacrarum literarum cognitionem patefecerunt ei viam: *Morus*, *Buscherus*, *Bosseckius*, *Dathius*, atque hic quidem in orientalibus praecipue studiis. Graecae Romanaeque antiquitatis scientiam auxerunt: *Reizius*, *Aug. Guil. Ernesti*, *Beckius*; philosophiam discebat *Platnero* et *Wielandio* ducibus; historiam cognovit *Wenckio* magistro; mathematica attigit auspice et auctore *Gehlero*. Qui viri quantopere Lipsiensem ornaverint academiam, non est quod pluribus hic exponamus. Quem fructum vero Ilgenius ex eorum scholis perceperit, ipse crebro narrabat gratissimoque animo declarabat. De studiis eius inprimis merebantur: Dathius, Morus, Reizius, Beckius et Platnerus, qui non solum exquisita, qua praecellebant, doctrina auditoris sui eruditionis copiam amplificabant, sed singulari etiam humanitate et liberalitate eiusdem rebus optime consulebant. Unde non mirum, quod Ilgenius, dum spirabat, viros illos optime de se meritos summa pietate prosequeretur. Ex his Dathius, qui orientalium literarum professionem administrabat, quum intellexisset, Ilgenium non esse ex quotidianis discipulis, sed supra vulgus sapere velle, et Hebraicae linguae scientia iam bene tinctum esse, ad eum detulit munus, quod nomen parum honorificum a famulo habebat. Ama-

nuensis, ut honestius dicatur, factus est Dathii. Ipsa tamen statio et honesta erat et quaestuosa, praesertim apud eos professores, in quorum scholis frequentes aderant auditores. Cui muneri addebat vir venerabilis aliud beneficium, Ilgenio suam in domum ita recepto, ut gratis habitaret. Praeterea haec conditio fructuosa erat propterea, quod iuveni orientalium literarum studiosissimo quum aditus ad Dathium ipsum pateret, tum ad bibliothecam eius bene instructam, cuius copiis ut suis uti posset. Nemo igitur non videt, quantum valuerit Dathii liberalitas ad futuram Ilgenii fortunam iuvandam ornandamque. Nam ut dignum se praeberet magistri benignitate et quid hoc in genere literarum praestare posset, luculenter ostenderet, summo nitebatur studio, ac plurimum in eo, quod sequebatur, proficiebat.

Haec sacrarum literarum praesidia dum comparare sibi studebat Ilgenii industria, nec alterum genus studiorum humanitatis negligebat, quo quidem inde ab annis scholasticis mirifice delectari coeperat. Atque habuit ad doctam antiquitatem diligentius cognoscendam eximios duces, Fridericum Wolfgangum Reizium et Christianum Danielem Beckium, quibus pares accuratae et elegantis eruditionis auctores academia Lipsiensis vidit perpaucos. Quantum hi duumviri liberalibus studiis et docendo et scribendo profuerint, non facile dixeris. Plurimos enim eosque egregios discipulos ex eorum scholis veluti ex officina humanitatis prodiisse, satis superque constat.

Valebat Reizius eximio iudicio ac singulari acumine, quod ipsi magnae erat utilitati in veterum scriptorum interpretatione et in exercitationibus Latine scribendi regundis. Ex multis, qui olim praestantissimi viri institutionibus usi erant, audivi, quum praedicarent, quantum fructum inde cepissent. Neque Ilgenius tanti magistri laudes tacitus praetermittebat, et quid in scribendi potissimum arte Reizio auspice didicisset, gratus fatebatur. Peropportune autem accidit, ut eodem tempore antiquitatis studia docere coepisset Beckius, vir magna varietate et copia doctrinae insignis, in quo summa erat discendi scribendique alacritas. Longum est, vel strictim commemorare, quae et quanta eius industriae debeat respublica literaria, nec facile possit aliquis iudicare, quo pacto tam multa et tam varia praestiterit, nisi cognitum habeat, fuisse Beckium diligentissimum temporis dispensatorem et omne fere tempus tribuisse doctis studiis atque circulos convivantium aliasque vitae socialis iucunditates vitasse magis quam quaesisse. Sed ne acta agere videar et laudes summi viri ab aliis iam celebratas persequi, paucis hic dicam, quatenus de Ilgenio iuvene bene meritus sit Beckius [11]).

Qui quidem vir rerum antiquarum intelligentissimus existimator et omnis humanitatis studiosissimus, quum persuasum haberet, eos qui bene aliquando de iuventute erudienda mereri velint, academicis annis probe exercendos esse in studiis, quorum accurata scientia nitatur eruditio scholastica: ex adolescentibus, qui moribus pariter atque ingeniis doctrinaque

probati ipsi essent, anno superioris saeculi octogesimo quarto condidit societatem philologicam, quae bis singulis hebdomadibus conveniret, seque praeside et duce scribendi, disputandi interpretandique exercitationes coleret itaque disceret, quae scire par est idoneum scholae magistrum. Quod sodalitium fructuosissimum et quasi seminarium futurorum doctorum institutioni puerili praeficiendorum ita erat institutum. Ex scriptoribus Graecis Latinisve deligebantur ab ipsis sodalibus loci critica et exegetica ratione explicandi atque illustrandi. Unus sodalium commentationem scribere debebat cum reliquis communicandam, quae postea in consessu commilitonum Beckio moderatore praelegebatur. Quo facto prodibant censores dissertationis recitatae et quae minus recte et bene scripta viderentur, ingenue notabant. Postremo is, qui regebat societatem, suum de argumento proposito iudicium addebat et quae minus diligenter, minus vere acuteque disputata essent, monstrabat et emendabat. Non raro etiam commentationes maiores et oratione et rerum gravitate commendatae sodalitii sumptibus edebantur. Quantum utilitatis ex hoc sodalitio quum in rem scholasticam, tum in ea studia, quae ab humanitate nomen ducunt, per longam annorum seriem redundarint, facile est ad existimandum et satis superque cognosci potest ex multitudine eximiorum virorum, qui olim huius societatis fuerunt sodales [12]).

Ad eam accessit Ilgenius a. 1785, ac brevi doctissimo eius moderatori ita probatus est, ut in

paucis gratus ipsi esset. Itaque Beckius eximii iuvenis rationibus modis omnibus consulere studebat. Neque intra angustos societatis philologicae terminos Ilgenii eruditio sese contineri passa est: mox opportunitate oblata foras etiam manavit et optima quaeque de praeclara indole et facultate ipsius sperare iussit. Iam primo anno amicorum nomine doctissimo iuveni, Loebelio cuidam, eiusdem societatis sodali, summos in philosophia honores gratulatus est, misso ad eum Latino carmine et docta commentatione *de Leonidae Tarentini epigrammate in Venerem Anadyomenen* [13]). Deinde simili occasione invitante disputatione *de choro Graecorum tragico* non minus eleganter quam docte scripta Carolum Gottlobum Sonntagium, quum ad Rigenses abire pararet, scholae episcopalis rectoratum illa in urbe suscepturus, gratulabundus prosecutus est [14]).

Talem igitur quum in optimis studiis se praestitisset Ilgenius et a laudatis laudaretur viris, profecto non mirandum, quod fama et existimatione magis magisque cresceret eiusque opera in pueris erudiendis expeteretur. Quibus institutionibus tam rei nummariae inopiae subveniebatur, quam aliae inde nascebantur iucunditates, quae vitam vitalem efficere possunt. Ex omnibus autem, quos Lipsiae habuit, discipulis non clarior ullus evasit et de Graecis maxime literis melius meritus est, quam *Godofredus Hermannus*, qui etiamnunc eximium est academiae Lipsiensis decus atque ornamentum accurataeque eruditionis praesidium. Iam in puero tantus discendi

ardor tamque excellens elucebat ingenium, ut facile divinari posset, qualis et quantus futurus esset laudatissimarum artium stator et auctor. Non sine magna quadam animi laetitia solebat Ilgenius eum πρωτότοκον suum appellare; neque Hermannus immemor erat operae et studii, quod iuvenilis magister olim sibi erudiendo tribuisset. Tanta per omnem vitam prosequebatur Ilgenium pietate, quanta rarissime reperitur.

Saepe ex Ilgenio audivi, quum lubenter et facunde narraret, qualem naetus esset in Hermanno discipulum, quantum iam puerili aetate alacritatis et facilitatis in discendo, quantum iudicii et acuminis in respondendo probasset, quantam voluptatem et utilitatem ex hac institutione ipse percepisset. Enarrabat Hermanno Xenophontis Memorabilia, quae vulgo appellantur et partem Iliadis Homericae idque tam diligenter et accurate, ut nonnumquam alacrioris pueri patientiam paene fatigaret. Criticam autem discipuli facultatem, qua summam postea consecutus est famam et existimationem, eo potissimum excitavit, quod in manus ei traderet Homericum hymnum in Apollinem scriptum et Köhleri cuiusdam cura editum[15]). Quae editio tam perversa erat tamque ineptis notulis instructa, ut Ilgenius magister eas ab Hermanno notari et corrigi et meliore commentario carmen Graecum illustrari vellet. Neque tamen discipulus, quo erat Graeci sermonis studio, in hoc uno hymno ornando acquievit; reliquos etiam deinceps adiunxit. Quibus conatibus discipuli sui quan-

tum tribuerit Ilgenius, inde concludi potest, quod pluribus annis interiectis novam Homericorum hymnorum editionem paraturus ab Hermanno peteret, ut sibi iuveniles illos commentarios mitteret, unde repeteret, quae suae editioni utilia viderentur.

Grati animi testandi causa, quum alia documenta magistro suo dedit, tum missa ad Ilgenium editione hymnorum Graecorum, qui falso Homeri nomine feruntur. Epistola huic libro praemissa quem tandem dubitare sinat, quam sincero veroque Ilgenii amore percussus vir summus non solum verba eleganter scripserit, sed amantissimi animi sensa ita declaraverit, ut anceps videatur, plusne admireris magistrum, qui talem formaverit discipulum, an Ilgenianae disciplinae alumnum, qui tanta pietate praeceptorem de se bene olim meritum constanter coluerit [16]).

Ad institutiones privatas, quas Hermanni pater, collegii Scabinorum, quos vocant, princeps et civitatis Lipsiensis consul, filio filiaeque, posthac Rüdigero, Astronomiae professori, nuptae impertiri voluerat, accesserunt aliae institutiones Ilgenii gratae. Erudiebat Weissii, ad divi Nicolai Diaconi filios, bonae spei pueros, ex qua doctrina et voluptatem et fructum non minorem capiebat, praesertim quum amice et benigne illa in domo haberetur. Minus feliciter processit opera in Eckii professoris filio instituendo: oleum et operam, quod aiunt, perdidit, neque postea habuit, quod tali discipulo gauderet magister.

Patres autem discipulorum quum facile viderent ac sentirent, quam idoneum et officii diligentem praeceptorem nacti essent, non tantum mercede Ilgenii rebus subveniebant, sed hospitalitate etiam blandisque alloquiis animum egregii iuvenis reficiebant atque exhilarabant. Ita vero factum, ut Lipsiensis vitae non sine voluptate quadam per omnes insequentes annos recordaretur, maxime propter operam in Hermanno suo ad criticam facultatem felicissime informando collocatam. Huius enim institutio hoc etiam commodi habuerat, quod docendo multa addisceret magister, quoniam de iis rebus, quas cum discipulo transigere vellet, etiam atque etiam ante cogitare et bene praeparatus venire coactus erat. Disputando magis, ut narrabat Ilgenius, quam vulgari praecipiendi tradendique via et ratione res peragebatur. Et quum mira esset iam in tantula auditoris aetate et cognitionis cupiditas, et dubitandi verique inveniendi consuetudo, in omnes partes versandi erant loci, quos communi studio pertractarent. Atque ita quidem non mirum videri debet, quod ex his ipsis institutionibus parem utilitatem ac voluptatem hauriret Ilgenius.

Verum quicquid otii impendebat scholis privatis, id domi acerrimo, quo flagrabat, studio compensare solebat et partem etiam nocturnorum temporum iis doctrinis dabat, quarum laude postea est nobilitatus. Sed prius quam ad extrema Lipsiensis vitae tempora perveniamus, paullum redeundum est.

Quattuor annos quum doctis studiis, quae ante commemoravimus, ita vixisset Ilgenius, ut plerisque

commilitonum praestaret, pauci praeferri ei possent. d. 22. m. Febr. a. 1783 Rectore *Geo. Henr. Borzio* et Procancellario *Aug. Guil. Ernestio* rite petiit atque obtinuit summos in philosophia honores [17]). Id vero fecit non gloriolae cupiditate accensus, sed patronorum, quos Lipsiae habebat, auctoritate pariter quam amicorum hortatu impulsus. Neque commode tum carere quispiam poterat hac dignitate, qui supra vulgus sapere velle videretur, aut ad publicum munus aspiraret. Poterant quidem iam illis temporibus hoc nomen et ornamentum adipisci, qui neque philosophiae doctores esse merebant, neque liberalium artium satis periti erant: at tale quid non cadebat in Ilgenium, nec facile dignior aliquis in numerum magistrorum ascriptus est. Aditus autem ad magisterii honores facilior factus est Ilgenio stipendio Misnico publice dato, cuius copiam ei fecerat Dathii commendatio. Nec pauca praebentur Lipsiae eiusmodi stipendia studiosis, qui a literis probati propter rei nummariae angustiam sumptus magisterii de suo facere nequeunt.

Reliquum est, ut breviter narretur, quas amicitias copulaverit Lipsiae Ilgenius, et quantum inde fructum perceperit. Nam licet acerrima industria incumberet in eas disciplinas, quas colendas sibi sumpserat, et multum temporis privatis etiam institutionibus tribuere coactus esset: tamen carere non potuit commilitonum, qui morum, voluntatum ac studiorum similitudine ei probati essent, usu et consuetudine, eosque singulari et fido amore pro-

sequebatur. Et quum ipse haberet eas virtutes et bona, quibus aliorum animi facile capiebantur et etiam retinebantur, non paucos nactus est amicos, quibuscum coniunctissime vivebat. Ex his in primis nominandi sunt: *Spohnius*, qui immatura morte oppressus obiit Vitembergae, idemque multo post filio patre prope meliori accidit Lipsiae, *Sturzius*, vir Graece doctissimus et Moldani posthac Gymnasii Rector clarissimus, *Heydenreich*, haud ignobilis poëta et philosophus, *Sonntagius*, qui ante aliquot annos summus sacrorum antistes apud Rigenses mortuus est, *Kraftius*, patruus meus venerabilis, cuius supra mentio facta est, *Heimbachius*, cui Ilgenius in rectoratu Portensi successit, *Osswaldus*, *Friedelius*, *Gersdorfius*, *Reuterus*, alii. Cum *Henrico Schaefero* quoque notitiam Lipsiae contraxit, unde et fructum et voluptatem non levem capiebat, quod grato animo agnoscebat Ilgenius. Quorum eximiorum iuvenum consuetudo quantopere delectaverit Ilgenium et quam grata etiam postera aetate ei fuerit recordatio suavissimi Lipsiensis sodalitii, verbis vix potest satis dici.

Extremo Lipsiensis vitae anno accidit Ilgenio, quod sane acerbissimum eius animo fuit, quoniam non modo corpori graves creabat dolores, sed studia etiam optimi viri multis modis impediebat et turbabat. Altero pede ita aegrotare coepit, ut domi per plures menses se continere nec raro ea studia intermittere coactus esset, quibus maxime oblectabatur. Cuius calamitatis causa fortasse inde repetenda est, quod Ilgenius primis annis tam tenuiter ac misere vixerat,

ut corporis succi aliquid detrimenti caperent. Nam primo biennio propter rei nummariae penuriam singulis septimanis bis terve summum coctis cibis uti poterat. Illud vero malum eo molestius accidit, quod illo ipso tempore oblata est conditio publici muneris capessendi, quod eius studiis et rationibus convenire videbatur. Amici quidem hunc casum ad se pertinere rati, Ilgenii animum maestum et afflictum consolari atque erigere et ne temporis moram graviter sentiret, prohibere conabantur: opinione tamen longius extrahebatur morbus diutinus, et claudicans altero pede migravit Ilgenius in eum locum, ubi primum doctoris publici partes paullo post sustinere coepit. Nec tamen dolores corporis animum industrii hominis ita poterant a studiis avocare, ut nihil ageret aut magnam otii iacturam faceret. Multa legebat, commentabatur, scribebat, et quae hoc in tempore scripserat, nullam profecto ingenii imbecillitatem prae se ferebant.

Eodem anno, quo calamitate ista premebatur Ilgenius, novum et egregium ingenii et doctrinae specimen typis exscribendum tradidit, eoque interiorem Hebraicarum literarum scientiam viris harum rerum peritis probavit. Edidit enim illo tempore dolorum et miseriae pleno librum: *De Iobi antiquissimi carminis Hebraici natura et virtutibus*. Isque poterat profecto documento esse, quantum profecerit ipsius auctor non solum in linguae Hebraicae cognitione docte colenda, sed in omnis Hebraicae antiquitatis etiam natura et indole scrutanda sciteque iudicanda.

Vita Lipsiensis quamquam non uno nomine grata erat et exoptata Ilgenio, quoniam et totidem invenerat illa in urbe amicos, quot studiorum comites ac socios, et patronos nactus erat, quorum voluntate auctoritateque obtigerant, quae non solum studia eius iuvare atque augere, sed ipsam vitam iucundiorem etiam facere possent: tamen egregio viro post sexennium Lipsiae transactum expetendum et optabile videri debebat, certam et publicam adipisci stationem, ubi doctrinam collectam cum pluribus communicandi et de re scholastica bene merendi copia daretur. Poterat quidem remanere Lipsiae, nec pauci, ut hoc faceret, ipsi erant auctores suasoresque; sed quum illo tempore non exiguus esset numerus eorum, qui et publice et privatim scholas haberent, fieri non poterat, ut brevi praeponeretur muneri professorio, quod tantum praeberet fructum, quantum ad vitam et studia satis fuisset. Accessit, quod Ilgenius propter rei familiaris inopiam exspectare diu academiam nequibat.

Opportune igitur accidit, ut m. Octobri a. 1789 a senatu Numburgensi literis invitaretur ad scholam urbicam moderandam, cui praefuerat adhuc *M. Jehnichen*, non indoctus quidem ille homo, sed nec corpere satis validus et firmus, nec plane factus ad difficilia rectoratus munia strenue gerenda. Qui quidem quum propter valetudinem munere sese abdicasset, Ilgenio ab Hermanni sui patre, viro spectatissimo et gravissimo, maiorem in modum commendato vacuum Rectoris munus demandabatur. Hanc vero conditio-

nem eo lubentius accepit, quod Numburgum praeter alias urbes placebat ac dulce erat solum illud, ubi ante paucos annos docti studii posuerat rudimenta.

Venit Numburgum, nisi fallor, ineunte m. Decembri et ita exceptus est, ut facile iudicare posset, se gratum acceptumque esse patronis et civibus oppidi. Designatus quum esset eius quam diximus scholae Rector, suo et collegarum nomine gratulatus erat *Pfarrio*, consuli olim apud Numburgenses meritissimo, semisaecularia dignitatis senatoriae sollemnia d. 23. m. Novembris celebranda missa ad senem epistola Latina *de Nestore felicissimi senis exemplo* [18]). Quo quidem libello Ilgenius non minus scribendi facultatem ostendit, quam familiaritatem cum Homericis carminibus totaque antiquitate Graeca contractam. Materia erat aptissime delecta et tam scite eleganterque tractata, ut cognitu sit iucundissima et utilissimis, quos confecit, libris, merito annumerari possit. Hoc specimine edito non mediocrem sui concitarat exspectationem. Illud autem permirum videri poterat, quod ei ipsi ludo gubernando praeficeretur, ex quo propter iniuriam prius commemoratam discesserat et in scholam cathedralem eiusdem urbis transierat. Atque ita meritis quasi remuneratus est iniuriam puerili aetate acceptam.

Paullo post, d. 9. m. Decembris, rite auspicabatur Ilgenius novum munus habita oratione Latina: *De patriotismo scholastico*, quae non minus orationis elegantia, quam rerum gravitate audientibus probabatur. Huc accessit iuvenilis vigor et ardor, quo

accensus orator in frequenti consessu dicebat. Nec poterant profecto, qui scholae curam administrabant, meliorem et magis idoneum virum gymnasio urbico regundo praeponere, quum ab eruditione, tum ab iis virtutibus egregie instructum, quas in Rectore scholae maxime inesse volumus.

Habuit collegas, qui proximum locum tenebant, *Staffelium*, Conrectorem, *Müllerum*, collegam tertium, *Mehmelium*, Cantorem, viros bonos et pro illis temporibus satis doctos, at non comparandos Ilgenio. Staffelius in Grammaticis haud male versatus id potissimum videbat et curabat, ut discipuli vulgaris Grammaticae praeceptis convenienter scribere assuescerent, in eoque negotio summa severitate, quae Ilgenio minime displicebat, versari solebat. Non satis enim habebat, verbis castigare eos, qui negligenter scripserant, sed, si quis gravius errasset, alapam ei non levem ducebat. Coniunctissime etiam vivebat Ilgenius cum sacerdote primario ad aedem urbis principalem, *Lenckio*, qui scholae erat ephorus sive inspector, et lubenter Rectori ea agenda et instituenda relinquebat, quaecumque ad res scholasticas emendandas valere existimaret.

Largam vero invenit Ilgenius de schola promerendi materiam et eruditionis augendae et disciplinae iuvandae ratione habita, praecipue in suprema classe. Non exiguae initio difficultates obiiciebantur et provectioris aetatis adolescentes conabantur severiori imperio novi Rectoris repugnare, sed tam fortiter obviam ibatur tamque constanter occurrebatur

utrique impedimento, ut brevi prompteque obtemperaretur et res scholasticae laeta caperent incrementa. Neque antea, neque postea magis floruisse scholam urbicam pro certo dixerim. Ipse vero Ilgenius huius temporis saepe et lubenter recordari solebat, quoniam non sine laude in hac prima statione multum profuerat et pro paucitate annorum non paucos habuerat disciplinae suae alumnos, qui posthac quamdam nominis famam adepti sunt et quod cum collegis concorditer vixerat et quod multorum civium quum gratia, tum amicitia floruerat. Quamquam qui succedebat Ilgenio in provincia Numburgensi, et satis eruditus erat et singulari animi candore praestans, tamen non potuit in eiusdem laudis societatem venire [19].

Ex numero eorum, qui Ilgenio Rectore Numburgensis gymnasii disciplina et institutione utebantur, honoris causa nominandi sunt: *Gernhardi* fratres, quorum natu maior non ita multis annis intericctis cum dilectissimo praeceptore diu coniunctissime vivebat Portae [20]), alter, natu minor, etiamnunc Vimariense gymnasium magna cum laude regit et gubernat; *Gruberus*, Halensis academiae professor clarissimus et de optimis literis non uno nomine meritus; *Schellius*, homo ingeniosus nec mediocriter doctus, sed in ipso flore aetatis, errore mentis affectus, quominus viam felicissime initam persequi posset, miserandum in modum impediebatur; *Schulzius*, primum Luccaviensis, deinde Duisburgensis, postremo Misnensis scholae Rector, nunc prope Chemnitium sacerdos rusticanus; *Lepsius*, vir multiplici erudi-

tione et iuris et rerum gerendarum peritissimus, nunc a consiliis provinciae Numburgensis; *Rosenheynius*, scholae Director in oppido Borussiae orientalis *Lyk*, vir exquisitae doctrinae laude clarus, qui aliquot libros in scholarum usum edidit; *Herrmannus*, primum Lübbensis scholae Conrector, deinde gymnasii Lubecensis professor spectatissimus, immatura morte iam a. 1819 et suis et humanitatis studiis ereptus. Ab his notioribus Ilgenii discipulis quum discesseris, non pauci enumerari possint eorum, qui eiusdem fuerunt auditores et diversam deinde vitae rationem secuti bene sciteque partes suas sustinebant ac pia semper mente magistrum suum prosequebantur.

Reliquum est, ut paucis dicatur, quaenam potissimum instituerit et gesserit in statione Numburgensi. Profectus e Reiziana et Beckiana disciplina novam eamque meliorem in scholam Numburgensem afferebat rationem veteres scriptores interpretandi, quae adiuta et exornata eximia, qua valebat ipse, docendi facultate, adde, ingenii doctrinaeque praestantia, officii denique obeundi diligentia saluberrimam vim habebat in mentibus auditorum ad humanitatem informandis. Nova tum quasi vita effloruisse videbatur; novo studio et discendi amore accendebantur discentes; multarum rerum novitate pariter et suavitate ita capiebantur, ut multo ardentius et constantius quam priore tempore in doctae antiquitatis cognitione elaborarent. Scriptoribus enarrandis praemittere solebat docta prolegomena; in explanandis veterum libris non tam vulgarem sequebatur viam,

quam subtiliorem et criticam illam rationem, cui Lipsiae assueverat. Saepe igitur et accurate de scripturae discrepantia disserebat eoque iudicium discipulorum acuere et exercere studebat. Verba ipsa bene et eleganter in Germanicum sermonem converti iubebat et in totam scriptorum mentem penetrare adolescentulos assuefaciebat. Crebras porro scribendi exercitationes cum iisdem instituebat; Latine disputandi consuetudinem inducebat et ipse veteres scriptores Latine interpretabatur. Praeter Latinas et Graecas Hebraicas quoque scholas habebat, omnes tam apte tamque utiliter, ut magnam inde perciperent auditores utilitatem. Aliquamdiu tradebat etiam dogmaticam partem doctrinae christianae. Quibus scholis, ut mos et necessitas ferebat, intererant una cum primae classis discipulis secundae classi ascripti adolescentuli; quam bene et salubriter, nihil attinet hoc loco quaerere. Multis certe secundanorum parum conveniebant doctae illae Ilgenianae institutiones. Neque tamen dubium est, quin nonnullis profuerint et latentes ingenii igniculos suscitarint et ad maiores conatus sollertiores pueros accenderint.

Ad publicas scholas accesserunt privatae, id quod in plerisque scholis olim propterea institutum erat, ut tenuem mercedem, quae publice praebebatur, honorario privatae institutionis augerent. Eiusmodi scholas privatas sex plerumque, non raro etiam decem habebat. Utraque institutione ita occupatus erat, ut diurna tempora unice in erudiendam iuventutem scholasticam essent impendenda.

Optime porro, ut iam significavimus, merebatur Ilgenius de disciplina scholae Numburgensis, in qua exercenda nonnullis interdum etiam nimius videbatur, si animo erat paullo commotiore et ira quadam auferebatur. At bonae mentis et ab amore literarum probatos discipulos amice et benigne habebat iisque prodesse omnibus modis studebat. Ab his igitur valde diligebatur et laudabatur; solis inertibus et in studiis parum proficientibus displicebat; malis etiam terrori erat. Neque improbabat aut impediebat honestas adolescentulorum oblectationes, si qua data esset animos relaxandi exhilarandique opportunitas: tum ipse conferre solebat, ut haberent istae iucunditates et plus voluptatis et plus decoris. Nam longe aberat a fastu paedagogico et ridiculo illo umbraticorum doctorum vitio, quod recentiores vocant pedantismum.

Grata erat Ilgenio statio Numburgensis etiam propter viros olim de se bene meritos, Lobeckium, Braunium, Meyerum, alios, quorum prius facta est mentio. Cum his denuo coniunctus gaudebat consuetudine eorum, neque de laudibus magistrorum maligne detrahebat. Neque minus grata ipsi erat vicinia scholae Portensis, ubi Heimbachii tum Conrectoris, iam Lipsiae sibi cogniti, consuetudine imprimis delectabatur, quamquam illo tempore non suspicabatur, se non ita multo post huic viro successurum esse in munere Portensi.

Postremo ex vita Numburgensi non omittenda est res laeta et magni momenti; coniugium dicimus,

quod iniit Ilgenius quarto anno, postquam Numburgum venit, cum lectissima virgine, *Ioanna Ernestina Christiana*, filia medici aulici *Gutjahrii*, prope Ienam in oppido Kahla artem suam factitantis. Hanc primo viderat in domo hominis sibi amicissimi, Stapfii, qui ad aedem Sanctae Mariae curam sacrorum habebat. Ad hunc enim amicum, quo candidiorem et honestiorem terra tulit nullum, ventitare solebat Ilgenius, si quid otii a scholasticis occupationibus superesset et animum diurno labore fatigatum reficere vellet. Soror eius, quam diximus, virginis natu maior non procul Numburgo nupta erat sacerdoti rusticano, Röslero, cui hospitium intercedebat cum Stapfio Numburgensi. Huius optima coniux, non minus animi quam ingenii virtutibus spectata, effecerat, ut Ioanna Gutjahr cum sorore veniret Numburgum. Ita Ilgenius, assiduus Stapfii hospes, primam notitiam cum ea contraxit. Neque mirandum, iuvenilem scholae Rectorem solitariae vitae pertaesum, cognita illa virgine, confestim animum ad matrimonium appulisse. Nam Ioanna commendabatur bella pariter corporis forma ac tali animi indole, qualem ipse sibi exoptarat. Hanc virginem primo aetatis flore animique dotibus commendatam in matrimonium sibi expetiit ac brevi post quum ab ipsa Ilgenia, tum a parentibus eius, quod maxime cupiebat, impetravit. Patri quidem visus est procus paullo severior nec vividae et iuvenili filiae satis aptus; tamen huic ipsi haud displicebat vir quadam gravitate et dignitate conspicuus eumque vel reluctante parente sibi optatum esse

sponsum aiebat. Et quis tandem reprehendat Ilgenium, quod talem sibi quaereret vitae sociam et comitem, cuius amore, cura, studio scholastici muneris molestiae et labores levarentur totaque vita fieret iucundior et suavior? Neque alienus erat eius animus a mollioribus sensibus et dulcedine amoris.

Illuxit tandem exoptatus ille dies nuptiarum, quae in oppidulo ante commemorato apud parentes celebrabantur d. 22. Ianuarii 1793. Magna cum laetitia et gratulatione exceptus est redux cum recenti coniuge Ilgenius; nec amici tantum eius felicitate gaudebant, sed discipuli quoque, praeceptoris studiosissimi, non uno modo declarabant, quam candide domesticae suavitatis accessione laetarentur. Et profecto grata effecta est hoc coniugio rerum domesticarum mutatio, ac iure felicior sibi videri potuit Ilgenius. Integro fere anno interiecto d. 21. m. Ianuarii insequentis anni auctus est filiolo, qui tamen vix quattuor mensibus post repentina morte absumebatur. Nomen huic πρωτοτόκῳ datum erat Carolo Augusto.

Quum Ilgenius in statione Numburgensi quadriennio amplius magna cum laude de iuventute formanda et instituenda meruisset atque ea eruditionis documenta edidisset, quae virum egregium altiore loco et maiore theatro dignum esse ostenderent: accidit, ut Eichhornius, celebratissimus orientalium literarum professor in academia Ienensi, vocaretur Gottingam et in locum Michaelis sufficeretur. Senatus academicus, rebus suis sapienter consulens, novum

quaesivit professorem et Ilgenium professioni vacuae ornandae satis idoneum esse ratus, principibus Saxonicis, quorum sociatis auspiciis et liberalitate inclita academia floret, de meliore nota eum commendavit suaque auctoritate effecit, ut cathedra abitu Eichhornii vacans Ilgenio deferretur. Neque is invitus oblatam conditionem accepit, quoniam latiorem sibi patefactum videbat campum, in quo vires suas exercere, docendi facultatem luculentius probare et per otium ea persequi posset studia, quibus maxime delectabatur. Adhuc enim propter muneris rationes non licebat optimo viro, multum temporis tribuere privatis studiis. Accessit, quod Numburgi tantulum praebebatur stipendium, ut necessariis vitae usibus vix sufficeret librariaeque suppellectili augendae fere nihil superesset [21]).

Eodem tempore, quo Ienam invitabatur Ilgenius ad suscipiendam Eichhornii professionem, alia ei proposita est conditio ab Henckio, notissimo illo Helmstadiensis academiae professore, qui abbatis nomine et honore ornatus magna erat apud Brunsvicenses auctoritate. Verum non una de causa praeferenda videbatur Ienensis conditio, ut facile ex iis, quae narranda sunt, intelligetur. Itaque post sollemnia paschalia a. 1794 discessit Ilgenius Numburgo et cum uxorcula migravit Ienam. Hic vero cognitum est, quam gratus dilectusque fuerit collegis, discipulis, patronis et amicis Numburgensibus. Non sine multis lacrimis aliisque amoris, pietatis, studii et observantiae significationibus ex illo oppido abiit, ubi

et discendi et docendi officio tantum profecerat. Neque ipse Ilgenius temperare potuit lacrimis, quum videret, quantum desiderium sui apud Numburgenses relinqueret, ac memoria simul repetens suavissimum illud tempus, quod cathedralis scholae olim discipulus isto loco degerat.

Ienam ubi pervenit, benigne et honorifice a multis professorum exceptus est, quibuscum novis iungebatur muneris officiis, brevi etiam voluntate et amicitia. Et gratulari sane poterat Ilgenius felicitati suae, quod adventus suus in ea ipsa tempora incideret, ubi Ienensis academia ingeniosissimis pariter atque eruditissimis hominibus affluens eximia omnium fere disciplinarum praesidia et ornamenta habebat. Longum est enumerare singulos viros, qui academiam Salanam illa aetate ornarint. Notissima sunt et celebratissima nomina praestantissimorum virorum, quales fuerunt Griesbachius, Walchius, Gablerus, Paulus, Schützius, Grunerus, Schillerus, Fichtius, Schellingius, Hegelius, Niethammerus, Hufelandus, Starkius, Voigtius, Batschius, alii. Accessit paullo post novum antiquarum literarum decus, Eichstadius, a Portensi et Lipsiensi disciplina profectus. In notitiam quoque venit et amicitiam Humboldtorum, Schlegeliorum, Süvernii, Stablii, quorum consuetudine et colloquiis non tantum, quam diu Ienae vixit, mirifice delectabatur, sed postera etiam aetate memoria huius iucundissimi sodalitii gratissima eius animo erat et cum nonnullis eorum per literas notitia prius contracta recolebatur atque conservabatur. In primis

amicitia et benevolentia Guilielmi Humboldti per totam vitam mirabiliter beatus est. Similitudine enim doctorum studiorum ita cum eo copulabatur, ut inde nasceretur voluntatum etiam coniunctio, quae sola morte dissolvi posset.

Nolite quaerere, quam suavis, quam fructuosa et utilis Ilgenio fuerit consuetudo cum tot hominibus ingenii et doctrinae laude florentissimis, quos Ienensis academia tum gremio suo fovebat plurimos. Non poterant profecto Ilgenio obtingere tempora feliciora. Praeterea prope aberant alia laudatissimarum artium lumina et decora, Wielandius, Herderus, Goethius, Böttigerus, alii, quos parva Vimaria ferebat sub faustis auspiciis ducis Caroli Augusti eiusque matris Amaliae, celsissimae principis, qua meliorem et animo ingenioque praestantiorem Vimarienses terrae tulerunt nullam. Ad haec bona Ienensis stationis accedebat locorum, quae oppidum ornant, mirifica amoenitas et salubritas, qua omnes vehementer oblectatos esse constat, qui convallem istam viderunt et singulas eius partes penitius perlustrarunt atque cognoverunt.

Professorium munus publice demandatum auspicaturus scripsit Ilgenius, ut mos et institutum academiae ferebat, doctam dissertationem: *De notione tituli filii Dei Messiae hoc est uncto Iovae, in libris sacris tributi*, qua non minus interiorem sacrarum literarum scientiam, quam sermonis Latini bonitatem talium rerum existimatoribus probavit. In senatum academicum autem rite inductus eique ascriptus est

4 *

d. 17. m. Maii a. 1794; scholarum initium fecit d. 22. eiusdem mensis. Atque has quidem tam scite docteque habebat, ut peritioribus imprimis auditoribus, qui quam bene et diligenter partes suas sustineret, iudicare possent, non mediocriter placeret. Neque in unis orientalibus literis tradendis sese continebat, ut in lingua Hebraica, Arabica, Syriaca, in interpretatione Pentateuchi, Psalmorum, vaticiniorum Iesaiae et librorum apocryphorum, sed privatim etiam enarrabat Homerica carmina, Ciceronis libros de natura Deorum, Tacitum; privatissime, ut dicitur, scribendi porro et disputandi exercitationes regebat. Ad has scholas sese praeter ceteros conferebant Hungari, qui illis temporibus frequentes Ienam venire solebant. Praeterea tradebat Ilgenius historiam philosophiae, cuius erat studiosissimus, id quod non mirum videri debet. Nam vigebant aut fervebant potius ea ipsa aetate in Ienensi academia studia philosophiae, ab acutissimo illo viro, Kantio, et commendata multis modis et eximie adiuta atque aucta. Sentire videbantur viri docti cum Tullio, qui philosophia nullum praestantius bonum mortalium generi deorum munere datum esse iudicaret. Exstiterunt autem Ienae plures et eximii eius disciplinae doctores auctoresque, ut Fichtius, Schellingius, Hegelius, Niethammerus, Stahlius, alii. Ad eamdem philosophiam magno studio incumbebat Ilgenius noster, ita tamen, ut non serviliter in unius magistri verba iuraret, ac certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addictus et consecratus esset. Numquam te-

mere aliorum stabat iudicio; suum potius iudicium adhibebat et sequebatur. Hac autem philosophiae cognitione quantum profecerit, ad omnem sentiendi et docendi dicendique rationem iuvandam et perficiendam, non est quod pluribus dicamus iis, qui salutarem vim illius studii multo usu cognitum habent. Ilgenio mirum quantum profecit, quod omnes profitebuntur, qui scholis ipsius interfuerunt.

Crebra porro commercia cum tot excellentibus optimarum literarum magistris, quales tum Ienensem academiam decorabant, non solum iucunda erant Ilgenio, sed multum etiam faciebant quum ad doctrinae eius copiam locupletandam, tum ad iudicandi subtilitatem acuendam, id quod ipse bene sentiebat, neque tacitus ferebat. Multum et coniunctissime vivebat cum Theologorum principe, Griesbachio, cum Schützio, elegantissimo doctae antiquitatis interprete et apud Ienenses humanitatis studiorum statore, cum Fichtio, sollerti et subtili philosophiae auctore, cum Paulo, non minus philosophiae quam sacrarum literarum scientia praecellente, cum Niethammero et Stahlio, qui felicissime in philosophiae studio elaboraverant, cum Humboldtis et Schlegeliis, ut iam dictum est, omnis elegantioris eruditionis studiosissimis hominibus, cum Batschio, botanices professore, viro candido et Ilgenii amantissimo; cum aliis etiam ita vivebat, ut Ienensis vita et ipsi et uxori eius multis nominibus esset iucundissima. Hinc etiam non mirandum, quod Ilgenius, quamquam Ienensis provincia non ita quaestuosa erat, ea decedere nollet aliasque

luculentiores conditiones, quae deinceps ei deferebantur, repudiaret. Oblata ei est, ut hoc utar, conditio professoris in academia Hafniensi; invitatus etiam est ad scholam in urbe Augusta Vindelicorum moderandam; aliae alio factae sunt conditiones: verum a se impetrare non potuit, ut discederet eo loco, qui praeter ceteros ei placebat. Remansit igitur Ienae, neque poenituit eum facti sui. Patroni vero et tutores academiae, ut gratiae et favoris documentum pro illa fide et constantia darent, sub finem a. 1799 dignitate et nomine professoris Theologiae ordinarii honorarii Ilgenium ornabant, qua novi muneris accessione reditus eius paullum augebantur. Tum enim licebat scholas habere, quibus disciplinae theologicae partes tradebantur, atque ita latior ei patefactus erat de studiosa iuventute bene merendi campus, in quo magna cum laude decurrere instituit.

Iam propositum illud, quod animo conceperat tum, quum relicta minoris scholae umbra, Lipsiam migravit, sacrarum literarum studium cum Graecae Romanaeque cognitione consociandi, data opportunitate constanter tenebat eoque academiae magnam afferebat utilitatem. Quicquid otii a muneris officiis relictum erat, tribuebat scribendo, quo posset de absentibus etiam bene mereri et famam suam latius propagare. Ac duo quidem in Ienensi statione Graecae eruditionis monumenta condidit: novam editionem hymnorum Homericorum cum Batrachomyomachia et carmina Graecorum convivalia metris suis restituta animadversionibusque illustrata. Hymnos Homericos

iam Lipsiae una cum Hermanno suo pertractaverat et quam larga messis post priorum editorum operam relicta esset, facile cognoverat. Haec igitur carmina quae multo post Homerum nec ab uno poëta composita esse constat, per horas subsicivas relegit et orationem castigare atque emendare conatus est. Quod institutum quam perite et docte, quam feliciter et probabiliter persecutus sit, non est huius instituti pluribus hic demonstrare. Et quamquam ipse Ilgenii discipulus huius operis censor exstitit subtilis et acer[22]), tamen neque hic, neque alii harum rerum idonei iudices meritam laudem elevarunt, et fama Ilgenii hoc libro edito nova cepit incrementa. Subirasci quidem initio videbatur, quod censor in editione hymnorum saepe de his poëmatis secus atque ipse iudicarit, nec pauca notarit idque haud molli brachio fecerit: tamen non ita multo post, quum Hermannus candida qua assolet libertate de ista censura sciscitanti ac paene querenti magistro respondisset, in gratiam cum discipulo redibat eumque non minore quam olim amore prosequebatur. Miserat hanc novam editionem carminum Graecorum ad Goethium, insigne Vimariae decus et grande laudatissimarum artium praesidium. Quem virum admirabilem non immerito appellat Ilgenius: *Musarum veteris Graeciae atque hodiernae Germaniae praesidium, ornamentum, delicias, quo magistro nuper Ionicus Apollineae virtutis praeco didicerit Thuisconis lingua canere docte ac solerter.*

Anno deinde millesimo septingentesimo nonage-

simo octavo Σκόλια Graecorum sive carmina convivalia emisit, adiuncta docta disquisitione de hoc genere carminis. In quo libro scribendo non minorem reconditae Graecarum literarum scientiae copiam, quam singularem acuminis iudiciique laudem peritis harum rerum existimatoribus probavit, et quantam familiaritatem vel aliis studiis occupatus et distentus cum Graecis Musis retinuerit, manifesto his etiam carminibus editis ostendit.

Eo autem anno, qui interiectus erat, opuscula philologica, priore aetate confecta et typis descripta, uno volumine iuncta ediderat, paucis additis, quae ad ipsas res pertinebant, neque ita multis mutatis, quae ad orationem spectabant. Haec sylloge iuveniles quidem Ilgenii conatus exhibebat, at eiusmodi, ut non haberet eorum auctor, quod ipsum puderet pigeretve haec iuvenilis ingenii monumenta foras dedisse[23]).

Ad haec scripta, quibus Graeca maxime antiquitas illustraretur, accesserunt eodem fere tempore duo alia orientalium literarum monumenta, quae famam Ilgenii minoribus de simili argumento propositis libellis partam non mediocriter augebant et confirmabant. Nam quum facile videret vir sagacissimus, de libris sacris non posse recte iudicari, neque interpretationem eorum bene procedere, nisi historia ipsorum et rerum publicarum ratio, qualis apud antiquissimos Iudaeos obtinuerit, satis explorata sit atque perspecta: maius eius generis condere coepit opus[24]). Hunc tamen librum, quod valde dolendum, inchoa-

tum reliquit auctor, aliis posthac negotiis ac studiis ab illo libro perficiendo avocatus. Multa sane in eo nova et acutissimis coniecturis firmata proponebantur, et critica librorum sacrorum censura eadem subtilitate exercebatur, qua tractari solent Graecorum Romanorumque scriptorum libri. Quamquam reperiebantur, qui, mirati et novitatem et audaciam suspicionum et coniecturarum professoris Ienensis, quaedam in opere eius reprehenderent: tamen, qui praeiudicatis opinionibus non occaecati erant, et acumen et doctrinae subtilitatem non poterant non agnoscere atque collaudare. Idem fere accidit Ilgenio, quum edidisset a. 1799 *librum Tobiae*, doctissimis commentariis illustratum [25]). Qui sentiebant cum vulgo theologorum, indigne ferebant eius studium, novam interpretandi rationem et viam inducendi ac receptas et hereditate quasi acceptas opiniones abiiciendi. Verum enim vero cernebatur etiam hoc in libro mira quaedam sagacitas et exquisita Hebraicae antiquitatis scientia.

His igitur scriptis et accuratae eruditionis et praestantis ingenii documentis factum est, ut Ilgenii nomen longe lateque propagaretur, nec semel ei offerrentur conditiones ab aliis academiis, ubi magis quaestuosum munus capessere posset; sed praeferendam censebat Ienensem stationem, quae tot tantasque haberet iucunditates et bona, quanta non facile alia alius academiae professio praebuisset. Substitit igitur Ienae usque ad mensem Aprilem a. 1802, ea naviter persequens, quae muneris officia exigebant.

At repente facta est voluntatis et consiliorum mutatio, quum Portae d. 10. m. Oct. a. 1801 obiisset Heimbachius, scholae provincialis Rector, quocum, ut vidimus, Ilgenius iam Lipsiae notitiam contraxerat, deinde, quum apud Numburgenses gymnasio urbico praeerat, eamdem recoluerat. De huius viri morte ubi nuntiatur Ienam, subit animum Ilgenii desiderium, vacuam provinciam studiis suis tam aptam convenientemque administrandi. Atqui haec cogitatio de rectoratu Portensi capessendo iam illo tempore ipsum cepisse fertur, ubi versabatur adhuc inter discipulos scholae cathedralis Numburgensis. Id quidem ego ex Ilgenio non audivi, sed res narrata mihi est ab homine certo et fide digno; neque abhorret ab illius ingenio, quod maiora et altiora appeteret, mediocria et humilia contemneret. Neque Ilgenius, ut modo relatum est, ea studia neglexerat, quibus instructus ornatusque esse debet idoneus gymnasii moderator et iuventutis scholasticae praeceptor. Nam selectis quibusdam iuvenibus, qui opera eius privatim uti cuperent, non solum, ut diximus, Graecos et Latinos scriptores praelegerat, sed eosdem etiam scribendi disputandique arte instruxerat. His exercitationibus accesserunt studia illa domestica, quibus comparabantur, quae ad libros ante commemoratos ornandos requirebantur. Nec spes illa, quam prima iam aetate conceperat, Ilgenium destituit, deductusque est vir eximius in eum locum, ubi virtutibus suis plus prodesse ac de literaria republica praeclarius mereri posset.

Venio ad annum huius saeculi MDCCCII, quo nescio an illustrior Ilgenium exceperit ullus. Obierat, ut modo relatum est, Portae d. 10. m. Oct. anni superioris *M. Carolus Guilielmus Ernestus Heimbach*[26]), elegantis vir doctrinae, qui non sine laude inde ab anno MDCCXCV—MDCCCI Rectoris munus administrarat. Quaeritur a senatu ecclesiastico, qui Dresdae constitutus erat, defuncto Heimbachio successor. Non ignorabant sapientes scholasticarum rerum moderatores, provinciam Portensem non modo postulare virum liberalibus studiis ornatum accurataeque eruditionis laude florentem, sed morum etiam gravitate et animi constantia atque iuvenilia ingenia discentium prudenter regendi facultate praestantem. Et quum illo ipso tempore publice id ageretur, ut scholae Portensis et externus et intestinus status mutaretur, atque omnino, quae huius saeculi rationibus et studiis parum convenire viderentur, partim emendarentur, partim tollerentur: summa profecto cautione opus erat, ne clarissimo illi Gymnasio moderando praeficeretur, qui neque ab exquisita doctrina, neque a prudentia scholastica satis probatus esset. At bene factum, quod singulari cura tum rebus Portensibus consuleret D. *Franciscus Volkmar Reinhard*[27]), Dresdensis senatus, quem diximus, consiliarius, non minus omnis eruditionis scientia, quam sacrae eloquentiae fama clarus maximeque celebratus. Qui quidem vir summus de rebus sacris pariter ac scholasticis per terras Saxonicas optime

meritus, ab Hermanno Lipsiensi monitus, Ilgenium prae ceteris aptum factumque esse iudicabat, cui ludi Portensis gubernatio demandaretur. Oblata autem prius fuerat statio Portensis Godofredo Hermanno, Ilgenii, ut vidimus, discipulo primario. Is vero, aliam vitae rationem secutus et academicam professionem scholastico muneri praeoptans, repudiata conditione maiorem in modum commendavit Ilgenium, hunc ipsum esse virum, qualem Portensis schola desideraret, dictitans atque affirmans [28]). In quo facto Hermanni non minus cernitur candida in praeceptorem pietas, quam rerum scholasticarum intelligentia. Nam neque prudentius, neque salubrius ullum umquam datum est consilium, unde maiores utilitates in rem publicam redundarint. Ubi viri sapientissimi sententia in consilio ecclesiastico pervicit [29]), luculentis conditionibus propositis invitatur ad scholam Rectore orbatam moderandam. Neque Ilgenius conditionem exoptatam accipere dubitat, divinitus ad hoc novum munus se vocatum esse ratus. Et quo maiore inde a prima aetate doctae antiquitatis amore accensus fuerat, eo gratior et optatior ei obveniebat provincia, in qua gerenda quum plurimis prodesse, tum iis se studiis dedere posset, quibus praecipue delectabatur. Tanta autem erat Ilgenii praeclaris doctrinae documentis nobilitati laus, tanta viri egregii exspectatio, ut nulla invidia in animis magistrorum Portensium moveretur, quum per literas publice missas nuntiatum esset, designatum eum esse b. Heimbachii successorem. Quid? quod a cunctis collegis

cupide exspectabatur et paullo post amico et benigne excipiebatur. Neque minor erat discipulorum exspectatio atque laetitia, quum talem virum ad se venturum rescissent.

Ilgenius rebus ad migrationem compositis Iena discessit et initio fere mensis Maii cum suis Portam pervenit. Novum collegam visendi salutandique causa confestim veniunt praeceptores; veniunt ex studiosa iuventute delecti, qui condiscipulorum nomine Latinum carmen, ut vetus ac laudabilis ferebat mos, novo Rectori offerrent eique se suasque res commendarent et laetum animum, quod talem nacti essent studiorum moderatorem, oratione declararent [30]). Mira tum erat, bene memini, animorum iuvenilium alacritas, et summa quaeque a novo Rectore exspectabamus, quamquam non deerant, qui severitatem eius timerent.

Tandem illuxit scholae Portensi memorabilis ille dies, quo Ilgenius, supellectile sua in antica parte novarum aedium disposita et rerum Portensium facie cognita, novum munus auspicaretur. Fuit is dies 31. m. Maii, anni millesimi octingentesimi secundi. Ad haec sollemnia rite peragenda pervenerat Portam vir generosae gentis et officii sui diligentissimus, *Henricus Carolus Brand de Lindau* [31]), scholae Portensis Inspector et Cizensis regiminis Cancellarius. Traditur recepto more Rectori designato novum munus et collegis discipulisque etiam atque etiam commendatur. Quo ritu transacto Ilgenius in vetere coenaculo, eiusmodi sollemnibus non satis

digno loco, — non alius tum reperiebatur, quo actus scholastici institui potuissent — de cathedra recitavit orationem Latinam et rerum gravitate, et orationis bonitate commendatam.

Atque hoc loco, priusquam ad Ilgenii facta persequenda progrediamur, non alienum nostro proposito videtur, de schola Portensi, tot excellentissimorum virorum altrice et magistra, brevem intexere narrationem. Nam gratum me ita facturum spero quum lectoribus huius libri, quos olim gremio suo fovit alma mater, tum aliis, qui natales et incunabula clarissimae scholae nondum noverunt.

Sita est Porta in ea parte Thuringiae, quam olim Electores Saxonici per plura saecula possidebant. Medium prope tenet locum inter vicinum oppidum Numburgum et vicum Cusanum, ubi largae proveniunt salsae aquae. Convallis est amoenissima, per quam Sala flumen tranquillas vehit undas. Montes, qui meridionali a latere surgunt, procerae fagi cum virgultis mirifice ornant; a septemtrionali latere nudos colles vestiunt viridantes vites, inter quas prominent pulchre positae villae, auctumnali maxime tempore celebratae et laetis vocibus resonantes aut missilibus ignibus relucentes. Ad radices montis meridionalis exstructum olim est monasterium Cisterciense, quod in literis pontificum Romanorum dicitur monasterium Sanctae Mariae de Porta. Moenia satis alta undique ambiunt loca, in quibus et tecta haud exigua et horti et nemus conclusa sunt. Circuiri autem possunt dimidiae fere spatio horae. Mediam

Portam interfluit fossa ex Sala amne derivata ad Cusanum vicum et usque ad vicinum pagum Almerich (Altenburg) deducta eodem, unde originem habet, refluit. Non procul conspiciuntur turres ecclesiae cathedralis, quae Numburgum ornat, et arcis Friburgensis longe prospectantes reliquiae. Neque longe absunt aliae aliorum veterum castellorum parietinae, propter adiacentium locorum amoenitatem frequentatae. Accedit insignis agrorum et arbustorum ubertas, oculis pariter ac palato grata. Nec desideratur in valle Portensi salubritas coeli.

Tanta igitur quum sit regionis, ubi Porta quondam a monachis commode et prudenter condita fuit, amoenitas, profecto nemo mirabitur salutarem illam vim, quam inde ab antiquissimis temporibus bona locorum in animis adolescentulorum cum mansuetis Musis viventium habuerint eorumque mentes mirifica voluptate perfuderint [32]). Multa laetiora enim incrementa capiunt studia docta iis locis, quae et amoenitate et salubritate et elegantia quadam munditieque commendantur, quam in secessu tristi et ab omni fere humano cultu remoto, aut in campis longe lateque sine ulla varietate patentibus.

Primum coenobium Portense Cistercienses monachi anno 1175 condidisse narrantur, postquam priorem sedem in agro Cusano propter viae publicae strepitum ac discrimina non satis tutam sibi esse senserunt [33]). Liberalitate principum Thuringiae et Misniae reditus coenobii valde aucti sunt: imprimis magnorum beneficiorum auctor praedicatur Georgius,

frater Friderici bellicosi, cuius funus in aede Portensi a. 1411 compositum esse fertur [34]). Bene igitur lauteque vivere poterant fratres Cistercienses, neque genium suum videntur in tanta rerum affluentia defraudasse.

Sed quum dispulsis per Lutherum et Melanchthonem ignorantiae et impiorum errorum tenebris salutaris veritatis divinae lux effulgere coepisset: ignava ista monachorum cohors e coenobio Portensi discedere iussa est [35]), et locus, qui fuerat adhuc *oscitantium* et ventri magis quam virtuti servientium hominum asylum ab Electore Mauritio mutatus est in scholam provincialem, quae felicioris ingenii pueris esset posthac bonae mentis palaestra [36]). Dies autem illustris, quo schola iussu principis sollemni ritu aperiebatur et inaugurabatur, erant ipsae Calendae mensis Novembris anni millesimi quingentesimi quadragesimi tertii. Primus scholae provincialis Rector factus est M. *Ioannes Gigas* (Hüne), Nordhusanus [37]), et primus in eam receptus alumnus fuit quidam *Lucius* sive *Lutze*, Kindelbrücka-Thuringus. Numerus discentium, qui hoc in ludo publice alebantur et omnibus rebus, quascunque vel studia, vel vita et supellex scholastica postulabant, donabantur, initio erat centenus. Verum ubi in dies laetius efflorescebat Gymnasium Portense, regnante Augusto Electore (1568) aedes scholasticae nova accessione amplificatae et pristino discipulorum numero additi sunt quinquaginta novi alumni [38]).

Praeceptores una cum discipulis non solum iis-

dem tectis continebantur, sed eodem etiam loco coenare solebant, quoniam propter habitationum angustias nec uxores habere, nec cibos domi sibi parare poterant. Sedebant in loco quodam celsiore a studiosorum mensis secreto — nostra etiam aetate nomen a magistris ductum habebat — et certorum alumnorum, qui famuli communes nominabantur, ministeriis inter coenandum utebantur. Postea tamen quum et commodius habitarent, et matrimonia inire magistris liceret; partim septimo quoque die ex aerario scholastico certam pecuniam accipiebant [39]), partim cibaria multa praebebantur, idque institutum usque ad recentiora tempora obtinebat.

Longum est enarrare, quae fuerit antiquior scholae Portensis disciplina ac docendi discendique ratio: multa sapienter instituta et praecepta erant, unde magnam non una Saxonia, sed exterae quoque terrae ceperunt utilitatem, et ipsae literae scholae Portensis excellentia mirifice adiutae atque ornatae sunt. Exstiterunt quidem et nostra et patrum memoria multi atque acerbi eius disciplinae reprehensores, qui omnibus probris et criminationibus almam illam liberalium studiorum matrem vexarent: at quae vulgo ei vitio dabantur, vel speciosa erant, vel ficta, vel ita vera, ut non minus aliis scholis communia dici possent. Ex quibus hic duas accusationes commemorare et confutare liceat.

Exprobrata saepe est gymnasio Portensi nimia disciplinae severitas, qua erectioris ingenii adolescentuli deprimi et ad servilem humilemque sentiendi con-

suetudinem detrudi possint. At haec ipsa disciplinae severitas iure numerari potest in iis bonis, quibus aliae scholae carent. Molesta erat, scio, mollibus, delicatulis et parentum indulgentia corruptis filiis illa disciplina, quae plane nullam neque generis, neque fortunarum haberet rationem atque omnes discipulos eodem modulo metiretur: sed salutarem eam adeoque necessariam fuisse, iure mihi affirmare posse videor[40]. Qui mature parere discunt, iidem et bene postea quum aliis imperabunt, tum semet ipsos facilius regere poterunt. Praeclare enim Cicero: *Mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus ut nervis ac sanguine et membris uti non potest. — Legum denique iccirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus*[41]).

Promptum postulabatur obsequium, praecipue ab inferiorum ordinum discipulis, et tam severe exigebatur, ut numquam fere reluctari aut dubitare auderent. Una voce decurionis sive inspectoris — erat haec potestas praecipiendi demandata duodecim tredecimve supremi ordinis discipulis — tota caterva reliquorum alumnorum, qui vel in auditorio maiore convenerant, vel in porticu ante fores triclinii templive sacris tamquam in acie constiterant, repente altum fiebat silentium, neque quisquam turbare ordinem, ne mussitare quidem conabatur. Tantum illi praetores auctoritate sua valebant! Facile tamen ac prompte parebatur. Nam omnes sperabant, fore ut,

si iustum tempus in schola remansissent et studia moresque probassent, eadem sibi daretur potestas.

Disciplinae porro severitas in tali ludo, qualis erat Portensis, ne abesse quidem potest. Nam quum tot pueri et adolescentuli studiis moribusque admodum diversis una habitent et vivant, qui tandem fieri possit, ut soli magistri omnem lasciviam et licentiam aut graviora etiam delicta prohibeant atque coërceant? Nostra quidem aetate disciplinae regundae potestas crebrius ab istis decurionibus exercebatur, quam ab ipsis magistris, qui multo rarius adesse possent. Raro hac potestate per leges concessa abutebantur; imperium sibi delatum moderate plerique administrabant; rarius etiam severitas in contumelias iniuriasve graviores degenerabat. Quod igitur aut imperiti aut iniqui reprehensores crimini dare solent scholae Portensi, in eodem periti et iusti harum rerum arbitri non ultimam laudem huius gymnasii positam fuisse fatebuntur [42]).

Saepe etiam audivi, quum obtrectatores almae matris Portae dictitarent: Inde a matutinis horis usque ad vespertina tempora miseros discipulos paene continuo labore et exercitatione ita occupatos esse, ut animi pariter ac corporis vires intenderentur, unde grave oriri possit detrimentum. Omnia praeterea ad certam et severam legem agenda esse, neque discentium optioni relinqui, ad quod genus studiorum mentes potissimum applicare velint: coactos ergo tamquam servos ad opus faciendum adigi, itaque bonum otium perdi magis quam frugiferum esse. Acce-

dere et illud incommodum, quod studiosi Portenses, angustis moenibus inclusi ac paene omni libertate privati, scholasticis spatiis decursis, academica libertate tam intemperanter abuterentur, ut saepe non levia inde redundarent damna.

Ad has accusationes vel elevandas vel diluendas multa quidem in promptu sunt, quae responderi possint, verum non est huius scriptionis, uberius exponere de praestantia disciplinae Portensis. Paucis igitur defungendum est. Scholis provincialibus, quum conditae essent in monasteriis, propositum erat, ut discipulos unis aedibus continerent et certis legibus certoque ordine eorum studia vitamque omnem per spatia diurna describerent. Hunc ratum constantemque ordinem qui tolleret, scholas ipsas tolleret. In secessu ruris procul ab urbis strepitu, deliciis ac nugis discipuli unice Musis litare assuefiebant. Quapropter diligenter removebantur, quaecumque turbare et impedire haec docta studia poterant [43]). Ceterum, quum discesseris ab auctoritate, quae penes primae classis cives erat, omnia discentium erant communia. Hac ex communione bonorum orta sensim est quaedam necessitudo et copula, unde posteris etiam annis firmissimae suavissimaeque amicitiae efflorescere solebant. Et cui paullo humaniori viro ignotae sunt Portensium alumnorum amicitiae [44])?

Deinde qui putant, continuis laboribus misere exerceri iuventutem Portensem, vehementer errant. Tantum enim otii datur, quantum satis est ad corporis animique vires reficiendas. Licebat nobis, ut

unum afferam, mitiore anni tempore bis quotidie celebrare ampla spatia hortorum, qui studiosae iuventutis oblectationibus concessi erant. Neque recentiore aetate desiderabantur artes gymnasticae, quas quotidie fere studiosa iuventus perito duce et magistro discebat atque exercebat. Poterat etiam pars adolescentulorum, qui superiori ordini ascripti erant, extra moenia Portae vicina loca perlustrare, ita tamen, ut stato tempore redirent, nec studia negligerent. Vigebant discentium corpora et animi, nusquam vidi alacrioris ingenii pueros et iuvenes. Ad vulgares, quibus pueritia delectari solet, ludos accedebant artis saltandi exercitationes, quae non modo corpora firmabant, sed, ut motus, incessus habitusque omnis corporis decori et apti aliquid traherent, quum maxime efficiebant. Quantum et hac in arte valuerint Portenses, satis superque notum est[45].

Porro equidem numquam animadverti, aut ipse sensi, libertatis crudeliter ademptae, si diis placet, desiderium tantum fuisse, ut patienter id ferre non possent, aut nescio quid detrimenti inde caperent.

Quum multa habeat disciplina Portensis bona, tum maxime illud praedicandum neque silentio praetereundum est, quod mature eius alumni docendo discere assuefiunt. Inde ab antiquiore tempore salutare ibi viget institutum, ex quo superiorum ordinum discipuli singulis diebus et certis horis condiscipulos suos aetate, loco et literarum scientia inferiores ex parte doctorum studiorum impertire iussi sunt, quae Graeci Latinique sermonis notitiam augere et

confirmare potest. Inde quantae utilitates et in iuveniles praeceptores, et in iuniores discipulos, qui illis operam dabant, per longam annorum seriem redundarint, vix erit, quod pluribus demonstretur. Quo diligentiores erant muneris sui superiores, eo maiorem apud discentes inibant gratiam, quae postea coniunctissimas saepe amicitias iucundissimasque necessitudines pariebat.

Possum et alia proferre almae Portae matris bona, quibus per tria fere saecula omnem humanitatem foverit mirabiliterque iuverit, sed ne longius a re proposita digrediar quam par est, vela contrahenda sunt et oratio eodem, unde deflexit, tandem revocanda.

Iam vero ut rectius iudicari possit, quam difficilem arduamque susceperit Ilgenius provinciam, quam duro usus sit initio et quam praeclare meruerit de omni disciplina rectius temperanda et de institutione melius ordinanda atque emendanda: paucis dicendum videtur, qui fuerit ludi Portensis status, quum ad eum gubernandum accederet, exstincto Heimbachio Rectore. Fuit Heimbachius, ut diximus, vir doctus et veterum scriptorum elegans interpres; Latine etiam et loquendi et scribendi facultate non mediocriter instructus. Muneris quoque officia, quantum poterat, diligenter obibat: sed propter valetudinem, qua minus prospera utebatur, animus eius saepe ita afficiebatur, ut non satis aptus esset ad partes difficiles bene ac strenue sustinendas. Nec tamen sola Heimbachii valetudo impedimento erat, quominus schola

Portensis laete floreret: accedebant aliae causae, quas diserte commemorare pietas vetat.

Mortuo Heimbachio quum res ad interregnum venisset, magis labi disciplina coepit ac licentia quaedam gliscere, unde non leve damnum illi palaestrae ingeniorum oriri potuisset, nisi in tempore occurrisset senatus Dresdensis sapientia et paterna cura. Parum valebant auctoritate magistri, licet crebrae irrogarentur sontibus poenae. Magna pars alumnorum, qui opportunitate interregni utendum putarent, studia negligentius tractabat et iuvenili petulantiae et genio suo indulgebat. Multa ludicra, multae nugae ineptiaeque excogitabantur et agitabantur, nec pauca fiebant, quae bonae disciplinae repugnabant.

Tempora igitur, quae proxime antecedebant Ilgenii adventum, neque moribus, neque literis satis fructuosa erant, quamquam minime negamus, fuisse etiam tum multos et ab honestate et a studiorum laude probatissimos discipulos. Ut solent vel generosiores equi, si peritum desiderant rectorem, ferocire et intemperantius exsultare: ita non pauci Portensium iuvenum inveniebantur, qui tempore interregni scholastici paullo liberius viverent et iustae disciplinae lineas transilirent. Itaque, ne quid detrimenti caperet respublica, licentia severioribus coërcenda erat legibus et quae dilabi coeperant, prudenter revocanda, continenda graviterque firmanda.

Ac primum quidem, ne latius serperet malum intestinum, sapienter curabat Ilgenius, ne discipuli tam moribus, quam studiis parum probati diutius

remanerent suoque exemplo nocerent. Quapropter aliquot eorum vel iussi vel moniti ex ludo Portensi discesserunt. Hac salutari severitate perterriti, qui adhuc fluctuarant, resipiscebant legibusque parebant, qui rectam viam ingressi erant, alacrius et constantius, ad id quod sibi proposuerant, contendebant. Nec tantum legibus sua reddita est auctoritas, sed studiorum etiam ratio emendata. Ita brevi tempore postquam Ilgenius gubernacula navis in salo misere fluctantis regere coeperat, mirabilis effecta est rerum Portensium commutatio [46]). Divinitus enim missus videbatur, qui pristinam clarissimae scholae famam et honorem tueretur, augeret atque stabiliret. Neque immerito Ilgenius dici censerique potest quasi sospitator eius ludi, quo non habuit Saxonia, ne dicam Germania, ullum seminarium proventu felicissimorum ingeniorum feracius.

Nec defuerunt tali magistro discipuli, posthac et ipsi haud mediocrem nominis famam adepti. Ex quibus — pace reliquorum dicam — honoris causa nominandi sunt: *Thierschius*, *Dissenius*, *Krehlius*, *Groebelius*, *Naekius*, *Nitzschii* fratres, *Iacobsius*, Halis ante quadriennium fere vita defunctus, *Wolffius*, *Spitznerus*, *Doederlinius*, *Spohnius*, immatura morte interceptus, *Meineckius*, *Steinackerus*, *Nobbius*, *Koesterus*, *Bachmannus*, *Schillingius*, *Schirlitzius*, alii, quos singulos enumerare longum est. Omnes autem, quos commemoravi, iam primo lustro, ubi Ilgenius gymnasium Portense regebat, eius disciplina et institutione utebantur. Nec minor erat numerus

eorum, qui postera aetate egregie instituti et eruditi ex eodem ludo prodierunt.

Collegae autem obtigerunt Ilgenio, quum rectoratum Portensem capesseret: 1) *M. Christianus Gottlieb John*, Inspector ecclesiasticus, qui sacra faciebat apud Portenses et Cusanos et in prima classe theologicas scholas habebat; in Hebraicis literis multum volutatus; in eoque genere de discipulis, qui ad Theologiam animum appellebant, bene meritus. Tanta praeterea animi lenitate et probitate excellebat, ut omnium animos facile sibi conciliaret. 2) *M. Beniamin Weiske*, Conrector, vir Graece Latineque doctissimus, cui biennio ante datus erat propter corporis imbecillitatem vicarius, M. *Gottlieb Fridericus Arzt*, homo acris ingenii et doctrinae elegantia et varietate instructus; 3) M. *Carolus Christianus Charitius*, Collega tertius, et animi candore probatus, neque eruditionis laude carens, at non satis aptus factusque ad iuvenilia ingenia excitanda et alenda; 4) M. *Ioannes Henricus Fleischmann*, Cantor et Collega quartus, homo probus et honestus, Fischerianae disciplinae alumnus, in antiquarum literarum scientia mediocriter versatus et parum elegans veterum scriptorum enarrator; 5) M. *Fridericus Gottlieb Gernhard*, Diaconns et Collega quintus, Ilgenii quondam discipulus, quum Numburgi praefectus esset scholae urbicae moderandae, eximius magister et muneris sui diligentissimus, ita ut multum discentibus prodesset; sacra quoque eloquentia commendatus; 6) M. *Ioannes Gottlieb Schmidt*, Mathematicus, vir

sincerae et rarae pietatis, nec solum mathematicarum rerum peritissimus, sed aliarum etiam doctrinarum cognitione bene instructus docendique suavitate insignis, nec poëtica laude carens[47].

His magistris ordinariis, qui vulgo vocantur, accessit: M. *Gotthelf Augustus Cubaeus*, princeps hypodidascalorum, quos recentiores Collaboratores appellant, homo satis doctus et probus, sed morosus interdum et difficilis ferocis iuventutis censor. Eodem anno, quo Portam venit Ilgenius, additi sunt duo alii huius generis magistri et custodes: M. *Ioannes Georgius Fridericus Messerschmid*, ingenio poëtico excellens et Graeci Latinique sermonis scientia haud vulgari ornatus, Altenburgensis Gymnasii postea professor; et M. *Carolus Christianus Gottlieb Schmidt*, dignus patre, quem diximus, filius, nunc scholae cathedralis, quae Numburgi floret, Conrector meritissimus.

Praeter hos antiquarum literarum et graviorum disciplinarum magistros habebat tum schola Portensis Franco-Gallicae linguae magistrum, *Alexium Prinetum*, patria profugum, virum muneri aptum, quod ei demandatum erat; deinde saltandi artis magistrum, *Danielem Fridericum Moebium*, senem quidem, sed partes suas egregie sustinentem; denique scribendi pingendique artificem, *Carolum Davidem Wenigerum*, qui Numburgi habitabat.

In consilio magistrorum, quod quovis die Saturni habebatur — σύνοδος appellabatur — assessor perpetuus erat *Ernestus Constantinus Herbst*, scholae Oeconomus

sive administrator. Is quidem curam habebat omnium negotiorum, quae ad Portensis agri reditus spectabant, unde nomen ei datum erat *(Rentmeister)*.

Neque desiderabantur Portae medicus et chirurgus, qui aegrotis aut laesis corporibus incolarum mederentur.

In hanc societatem virorum receptus Ilgenius, quo erat iustitiae concordiaeque studio, amice et coniuncte cum iis vivebat, neque ipse prudens sciensque commisit, ut posteris annis quaedam fieret voluntatum mutatio: qua de re paucis infra dicetur, quando de Ilgenii animo moribusque narrandum est.

Prius autem quam ad alia Ilgenii de Portensi ludo merita progrediar, breviter narrabo, quas scholas — lectiones parum Latine vocant — habere et quam viam et rationem in docendo sequi solitus sit.

Ac primum quidem tenendum est, non ita magnum olim fuisse scholarum numerum, quae studiosis Portensibus praescriptae erant: nec magistri multitudine eiusmodi negotiorum districti erant. Utrumque, credo, recte ac sapienter institutum fuit, in eo praesertim ludo, qualis Portensis erat. Nam scholasticae institutioni non tam propositum esse debet, multis et continuis scholis puerorum et adolescentulorum mentes ita explere et omnis doctrinae copia satiare, ut fastidium quoddam moveatur, et obruantur magis ingenia iuvenilia quam irritentur, exerceantur, alantur, fingantur. Et si iure laudamus medicos, qui corporum valetudini tuendae atque firmandae simplicem modicumque victum praescribunt; non minus laudandi

sunt gymnasiorum praefecti et moderatores, qui in scholarum numero describendo non tam copiam quam iustum modum quaerunt. Etenim ut in aliis rebus accidere solet, ita in scholasticis quoque fieri potest, ut copia discentes faciat inopes, ingenia puerilia non corroboret et acuat, sed hebetet atque obtundat. At nos plane non sentimus cum iis, qui hoc ipso tempore graviter accusarunt gymnasiorum instituta, quod multitudine et scholarum quotidie obeundarum, et rerum domi vel discendarum vel scribendarum valetudini discipulorum magnum afferant detrimentum. Nam causae corporum iuvenilium minus quam patrum memoria valentium non tam ludis literariis, quam parum sapienti puerorum educationi, et huius saeculi perversitati sunt tribuendae.

Sapienter igitur in scholis provincialibus institutum erat, ut discipuli non modo magistros audirent et quae ab hisce tradita essent, domi repeterent, sed bonam etiam partem temporis in privatis studiis consumerent suoque Marte, ut aiunt, ea addiscerent, quae sola praeceptorum institutio suppeditare non posset. Atque haec quidem privata studia, quae discentes ad suum arbitrium deligere poterant, quanto amore, quanta cura quantoque fructu fuerint culta, facilius et rectius, qui Portenses fuerunt alumni, sentient quam alii, ab hac disciplina non profecti, sibi persuadebunt. Plus tribuebatur, ingenue dicam, plerumque domesticis studiis, quam multis scholis magistrorum. Hoc rectene factum sit, indicent periti. Nemo autem eorum, qui olim Portam nacti

sunt almam studiorum suorum parentem, non sine magna voluptate recordabitur temporis in iis studiis collocati, quibus maxime delectabatur [48]).

Sed video me aberrasse ab eo, quod de Ilgenii scholis dicturus eram. Decem undecimve singulis hebdomadibus habendae erant Ilgenio scholae. Ac binis quidem horis Horatiana carmina interpretabatur, totidem unum ex Tullianis de philosophia scriptum librum, totidem porro Davidicos psalmos, totidem enarrabat historiam philosophiae et tribus denique regebat Latine scribendi exercitationes. Graecos scriptores non praelegebat: semel, quod sciam, Pindari carmina per semestre hibernum explicabat, dum morbo impeditus abesset is, qui Graecas scholas in prima classe habere debebat. Ilgenianae institutiones, quod salva reliquorum doctorum fama dicere liceat, longe omnium fructuosissimae et erant et esse putabantur. Neque id mirum. Numquam enim non bene praeparatus et omnibus rebus, quae explicandae erant diligentissime domi excussis ad nos ventitabat.

In scriptoribus interpretandis eam sequebatur rationem, quam vocant statariam, a qua numquam discedere solebat. Ipse quidem prior singula carmina Horatii aut singula capita libri alicuius Ciceroniani explanabat et locos expeditos atque illustratos vernaculum in sermonem auditores suos convertere iubebat. Nihil autem intactum aut in medio relinquebat, et haud scio, an nimius fuerit interdum in officio interpretis exsequendo. Admirabilis tamen erat doctrinae, quam depromebat, ubertas et ingenii, quo

multum valebat, felicitas. Multum temporis tribuebat criticae interpretationi, qua tantopere delectabatur, ut non raro uni alterive scripturae discrepantiae expediendae vix horae spatium sufficeret. Nihilominus longe maior pars eorum, qui eius scholis intererant, sagacissimi viri vel dubitationes, vel coniecturas lubenter audiebat. Modo aliorum Grammaticorum suspiciones et correctiones singulari, quo excellebat, acumine confutabat, modo ipse suas emendationes proponebat, modo locis obscuris, in quibus illustrandis alii interpretes frustra laboraverant, nova interpretatione lucem afferebat.

Neque tamen una grammatica ratione veteres scriptores enarrandos putabat, sed simul id agebat, ut quae recte, quae vere, quae venuste in antiquitatis doctae libris scripta essent, diligenter doceret ac demonstraret. Sensum enim veri, pulchri decorique mature excitandum conformandumque esse iudicabat. Quocirca non modo verba et dictiones notare atque explicare solebat, sed ad rerum quoque praestantiam sententiarumque nexum auditores suos attendere iubebat. Plerumque etiam carmine Horatiano enarrato praelegebat unam ex melioris notae versionibus — utar vocabulo recepto — et sciscitabatur ex discipulis, quae minus apte commodeve reddita viderentur. Interdum etiam nobis Horatianum carmen iisdem metris exprimendum proponebat. Tarda quidem, non nego, Venusini vatis interpretatio procedebat, sed utilissima erat nobis, neque poenitebat auditores temporis ita collocati. Alias partes eius-

dem poëtae aliosque ligatae orationis scriptores privatis studiis cognoscendos commendabat. De hac stataria et lenta antiquorum librorum lectione magna est inter homines doctos dissensio, neque negarim, peccari in utramque partem [49]). Alteri dum nimii sunt in excutiendis et verbis et rebus spissosque domi commentarios conscribunt atque omnia veluti cum pulvisculo quasi exhaurire student; alteri, parum curantes orationis elegantiam et verborum vim ac potestatem, currendo veluti canes Aegyptiaci aquam de Nilo lambentes rem conficiendam esse censent. Auream mediocritatem etiam hoc in genere deligendam tenendamque esse, quis tandem dubitet aut diffiteatur?

Ilgenius noster, qua erat omnis antiquitatis scientia et grammaticae rationis subtilitate, adde, criticae facultatis usu plurimo, suo interpretandi modo multum profuit iis, qui studiose ipsi operam dabant. Minus quam Horatianae scholae vulgo placere solebant Tullianae, in quibus libros de philosophia scriptos explicabat. Neque causa huius rei longe repetenda est. Suavius enim et facilius in animos iuveniles influunt et quasi sese insinuant poëtae atque historici: vis ac praestantia librorum, qui sunt de philosophia, ista aetate minus percipitur. Accedit, quod non pauci adolescentes eam imbiberunt opinionem, ipsum Ciceronem mediocriter peritum fuisse philosophiae et omnia ex Graecis fontibus hausisse, eoque tantum consilio attigisse illam rerum divinarum

humanarumque scientiam, ut in dicendo haberet, quo suas ornaret orationes [50]).

Quas porro de historia philosophiae habebat scholas, eae profecto erant praestantissimae, plerisque gratae ac iucundae, doctiores tamen fortasse atque uberiores quam gymnasii rationes ferunt. Id maxime boni habebant, ut non modo decreta veterum et recentiorum philosophorum cognosceremus, sed paullo subtilius etiam rectiusque de rebus, quas humaniorum adolescentum potissimum scire interest, iudicare disceremus.

Magna porro utilitas percipiebatur ex iis scholis, quae arti Latine scribendi dicatae erant. Hic enim videre licebat, quam Latine doctus esset Ilgenius. Singulari erat in rebus grammaticis ἀκριβείᾳ, nosque ad integram castamque orationem adducere conabatur. Ac duplex quidem erat genus exercitationum, in quibus stilum Latinum discentium fingere studebat. Bis singulis septimanis auditores illico Latine excipere calamo iubebantur, quae Germanice scripta dictabat, vel ex probato patrii sermonis auctore sumpta proponebat. Cui subitae scriptioni dimidia fere pars horae insumebatur. Deinde unum alterumve discipulorum excitabat et quae Latine scripsisset, praelegere iubebat. Neque tamen ipse, quae minus recte perscripta erant, prior confestim corrigebat, sed modo hunc, modo illum interrogabat, quid vel ipse scripsisset, vel quid de condiscipuli, qui iam particulam praelegerat, interpretatione Latina

iudicaret. Ita eorum, qui assidebant, non solum meditatio et studia irritabantur atque alebantur, sed iudicandi etiam vis acuebatur et exercebatur. Tum denique ipse laborantibus opem ferre solebat, si nemo auditorum reperisset, quod quaerebatur. Hac Socratica via et ratione quantum profuerit disciplinae suae alumnis, nihil attinet, diligentius demonstrare. Atque hoc modo si instituuntur subitae illae scribendi exercitationes, valde fructuosae esse possunt.

Argumenta porro earum scriptionum, quae privato studio et cura conficiendae fere tertio aut quarto quoque mense proponebantur, deligebat Ilgenius ex iis rebus, de quibus iam in scholis publicis disputatum erat. Raro historici generis erant: plerumque cum philosophia aut optimis artibus coniunctae erant. In corrigendis autem libellis, quos domi scripseramus, erat diligentissimus, neque tantum verba eorumque aptam structuram, sed res quoque et logicum sententiarum ordinem spectabat. Unde etiam factum, ut per integrum annum ultra quattuor scriptiones a nobis exigeret emendatasque redderet. Futuri denique Theologi Hebraicis scholis nihil melius in eo genere institutionum exoptare sibi poterant. Ego quidem postea numquam audivi, qui doctius utiliusque psalmos Davidicos interpretaretur. Nec paucos condiscipulorum audivi, quum dicerent, se valde desiderasse in academia Ilgenii Hebraicas institutiones. Et cui tandem hoc mirum videri possit, quem non fugiat, quantopere Ilgenius in his ipsis literis excelluerit? Neque est, quod pluribus hac de re dica-

mus, quoniam supra exposuimus, quam doctus Hebraice fuerit. Primo tempore, ex quo rectoratum Portensem susceperat, Ilgenius ex vetere instituto die solis post precationes matutinas audiente universo discipulorum numero explicabat librum aliquem Novi Testamenti, quod appellatur, sed tam docta et subtili ratione, ut unice superiorum ordinum discipulos respexisse videretur. Neque diu hoc institutum obtinuit.

Atque hae quidem erant scholae, quas officio postulante habebat Ilgenius usque ad illud tempus, ubi propter ingravescentem aetatem numerus earum imminutus est. Si vocem, os, vultum omnemque actionem doctoris Ilgenii spectamus, nihil profecto eorum desideres, quae iure ab idoneo magistro requiruntur. Vox erat gravis et sonora; os vultusque prae se ferebat quamdam dignitatem modica severitate iunctam; nec raro, si res ferret, in dulcem vertebat risum, quae in ore regnabat, severitas. Habitus corporis et actio dicentis respondebat dignitati, qua Ilgenius non mediocriter praecellebat. Talis denique erat in docendo, qualem esse decet, quicumque de studiosa iuventute bene mereri volunt. Ita factum est, ut eo docente non modo summum esset silentium, sed maxima etiam animorum attentio et discendi studium acerrimum. Ex tanto autem numero Portensium, qui Ilgenio usi erant doctore et studiorum moderatore, nullum umquam vidi, aut scholas ipsius contemnentem et vituperantem, aut docendi rationem acerbe notantem. Omnes uno potius ore

profitebantur, se neque antea, neque postea cognovisse magistrum scholae Ilgenio praeferendum: hunc unicum esse suo in genere atque omni laude cumulandum.

Sed omissis laudibus, quae iure debentur optimo huic viro, etiam docendi facultate clarissimo, ad alia transeamus, quibus ludo Portensi plurimum profuit Ilgenius.

Disciplina igitur, ut vidimus, revocata atque emendata, et institutionum, quantum per tempora et homines licebat, ratione melius constituta: multum operae et temporis contrivit in librorum copiis, quas bibliotheca scholastica continebat, rectius ordinandis et disponendis, quippe quae adhuc prope neglectae iacuissent. Nec minore studio postea curabat, ut hic thesaurus quotannis bona parte librorum augeretur et usus eius facilior efficeretur [51]). Nec hoc Ilgenii de schola Portensi meritum tacitus praeterire potui, quoniam non tam audivi, quam meis oculis vidi, quantum laboris et sudoris in hoc molestissimo negotio persequendo vir egregius omnisque officii diligentissimus consumpserit. Dum reliqui collegae aestivum otium vel iucunde in literis transigebant, vel animum aliis studiis oblectabant, vel amoena Portensia rura lustrabant; Ilgenius talia gaudia non curans in bibliothecam sese abdebat et pulverem situmque librorum patienter devorabat nec prius quiescebat, quam id quod maxime volebat, perfecisset.

Neque res literarias solum administrabat vir strenuus, sed gerenda etiam erant alia negotia, quae

pertinebant ad aedificationem scholae instaurandae, amplificandae aptiusque instruendae. Pars quidem operis iam ante ipsius adventum absoluta et scholastico usui data erat, sed maior pars vix inchoata. Facile est igitur ad iudicandum, quantum temporis huic quoque officiorum generi tribuerit. Saepe enim ab architecto et opificibus consulebatur, ut, quomodo auditoria, conclavia, dormitoria, alia maxime institui vellet, ex ipso audirent. Et quum alumni aestivis mensibus propter instaurationem coenaculi [52]) *in* porticu coenobii, qui quattuor lateribus ambibat impluvium hortulo Primanorum usui destinato exornatum, angustiis locorum exclusi coenassent; omni quo poterat studio Ilgenius id agebat, ut eo ipso die, quo olim schola iussu et auctoritate Mauritii principis virtuti et humanitati dedicata fuerat, ex porticu in triclinium melius instructum et excultum — horrida profecto et parum munda erat pristina huius loci facies — revocarentur et commodius honestiusque postea epulari una possent. Res celeriter processit et factum est, quod ille voluerat. Ipsis Calendis Novembribus a. **1802** duce et auspice Viro generoso Brand de Lindau, cuius iam mentio a nobis facta est, triclinium diu desideratum sollemni ritu inauguratum est atque alumnorum usui restitutum.

At brevi tempore interiecto miserum in modum ex instaurato coenaculo expulsi in vicina auditoria abire cogebamur. Fuit dies 25. m. Nov. — expertus ipse rem atrocem narrare possum — sedeba-

mus laeti nec ullum discrimen suspicantes ad mensas vespertinis epulis intenti. Ecce animadvertimus de altero pariete, qui porticum modo commemoratum attingebat, calcis frustula delabi. Res defertur ad Gernhardum nostrum, qui tum hebdomadarii [23]) partes inter coenandum sustinebat. Is vero nullum periculum impendere ratus, nos bono esse animo iubet; non raro id fieri dictitans, si calx recens aspersa repente calore siccaretur. Vix ad mensas et patinas rediimus, quum iterum videmus de eadem parte muri interiecti arenarum aliquid defluere. Itur denuo ad Gernhardum, isque tum auctor nobis est, ut sedibus relictis paullisper recedamus. Parvis interiectis momentis temporis subito atque ingenti cum fragore illo ipso loco, unde nos receperamus, magna pars tecti arcuati corruit et plures subiectas mensas teterrima strage opplet. Quo sonitu cuncti, qui adhuc coenabant, perterriti incredibili festinatione usi de sedibus suis avolare, alius alium exitum quaerere, pars per fores, alii per fenestras dilabi et minitantem perniciem effugere. Tanta autem vis saxorum, arenarum pulverisque devoluta fuerat, ut lucernae exstinguerentur tristesque tenebrae per triclinium, quod modo hilari coenantium susurru resonabat, ingruerent. Ilgenius re nova cognita, domestica, qua erat indutus, toga acerbo cum dolore et misero eiulatu pallidumque os gerens animoque atrocissima quaeque timens advolat ad triclinii fores nosque continuo in conclavia ascendere iubet. Quo facto ipse cum Gernhardo sollicita mente recenset suorum catervam,

et mox non sine summo gaudio intelligit, ne unum quidem horrenda ista ruina oppressum esse. Numquam vidi optimum virum maiore laetitia perfusum quam illo temporis puncto, quum certum exploratumque esset, ex aperto periculo salvos evasisse cunctos. Gernhardus autem sapienter usus hac opportunitate, vespertinas preces regens tam graviter, tam apte dicebat, ut omnes discipuli admiratione providentiae divinae percussi intimo ex pectore gratas ad summum numen preces mitterent. Et profecto quis hic non agnoscat curam illam praesentissimam, qua res humanas gubernare solet Deus? Is nisi nobis in tempore succurrisset, misere periisset magna pars studiosae iuventutis, quae in patriae spem laete succrescebat [54]).

Ilgenius omni, qua poterat, auctoritate effecit, ut quae ruina ista diffracta erant, quam primum reconcinnarentur meliusque instruerentur. Atque per insequentes menses ita fervebat opus, ut die 17. m. Nov. a. 1803 triclinium instauratum multisque modis ornatum amplificatumque sollemniter aperiri posset. Hoc quanto laetitiae et pietatis erga benignissimum scholae Portensis servatorem sensu factum sit, non est quod pluribus describam: tenebunt autem omnes, qui illustrem illum diem viderunt.

Sed quoniam nobis praecipue propositum est, hoc libello docere, qualis fuerit Ilgenius scholae Portensis Rector, missa narratione rerum externarum, redeundum est ad illud tempus, ubi Ilgenius primum examen auctumnale, quod vocabatur, Portae institue-

bat. Bis enim studiosa iuventus publice probare iussa erat, quantum in liberalibus studiis profecisset et scribendo maxime ostendere, quid humeri valerent, quid ferre recusarent. Altera exploratio progressuum celebrabatur paullo ante dies illos, qui cruciatibus exstincto et a morte reduci Iesu Christo sacri sunt, altera ante ipsam illam hebdomadem, qua memoria Sancti Michaelis recolitur. Quae quidem explorationes sive examina sunt apud Portenses multo maioris momenti multoque maioris fructus, quam aliis in scholis. Quapropter eorum potissimum gratia, qui hospites et peregrini sunt in rebus Portensibus, hic paucis exponendum videtur, quae fuerit eorum ratio atque utilitas.

Die lunae eius hebdomadis, quae spectandis discipulorum profectibus constituta erat, post preces matutinas a Rectore primum dictabatur materia poëtica, unde non tam ordinandi, quam fingendi erant versus Latini, hexametri plerumque aut disticha. Qui valebant ingenio et scribendi facultate, poterant hic ostendere, quales essent Phoebi alumni. Liberius et prout animus ferebat, canere poterant et plane ad suum arbitrium exornare materiam illam poëticam, quae Apollineis artificibus tamquam marmoris truncus dabatur arte formandus atque expoliendus [55]). Hoc quidem poëticum specimen erat longe gravissima et celebratissima pars totius examinis. Is demum veram et eximiam laudem abstulisse videbatur, cuius carmen magistris probatum esset. Neque immerito tantum tribuebatur facultati versus condendi, quam-

quam recentiore aetate non pauci reperti sunt, qui poëtica exercitia vel gravioribus disciplinis obesse, vel nugas saltem esse et scholis expellenda serio suaderent. At profecto, qui tam cupide poëtica studia damnant, non digni sunt, qui audiantur [56]. Nemo enim qui supra vulgus sapere et praestantissima eruditae antiquitatis carmina recte intelligere iustumque iis pretium statuere velit, negligere illa debet [57]. Neque verendum est, quod multos clamitasse accepimus, ne solutae orationis integritati et elegantiae nescio quid detrimenti afferatur, si quis poëticum sermonem coniungere velit cum pedestri. Usu satis diuturno edocti scimus, quicumque bonos versus facere didicissent, eosdem quum omnis linguae fuisse peritiores, tum prosae orationis laude floruisse. Itaque factum est, ut in scholis Saxoniae provincialibus, quae inde a primis temporibus promptae et accuratae doctrinae fama celebratae erant, poëticae exercitationes studiose colerentur ac multum ad elegantem doctrinam iuvandam valerent. Quibus ut postea quoque suus constet honos, bonarum literarum causa magnopere est optandum.

Sed redeat oratio, unde paullum aberravit, ad Portensis examinis rationem. Materia illa poëtica tribus classibus communiter proponi solebat. Rectius, ni fallor, utiliusque primae et secundae classi data fuisset. Magna certe pars tertiae classis (dicebatur *Mittel-Secunda*) huic negotio non satis apta erat. Inferiorum ordinum discipulis proponebantur versus Latini distracti, quos iustum in ordinem redigerent.

Penso poëtico Latino accessit Graecum et antiquiore quidem tempore duplex, alterum Graecum, quod Latine reddendum, alterum Latinum, quod Graecum in sermonem convertendum erat. Postea primae classis cives odam Horatianam Graecis versibus reddere et locum ex poëta tragico sumptum vel Latine vel Germanice vertere et huic versioni commentarium addere iubebantur. Faciliora pensa Graeca reliquis classibus praescribebantur. Qui Hebraicam linguam didicerant, locum ex psalmis delectum eodem, quo Graecum explicabant et illustrabant et particulam N. T. Hebraicum in sermonem convertebant. Conficienda praeterea erat, recentiore saltem aetate, Germanica scriptio, mathematica porro commentatio et specimen Francogallicum. Extremo denique examinis die ab eodem Rectore dictabatur stili Latini specimen Germanico sermone conceptum, quod eodem loco, ubi proponebatur, Latinum in sermonem transferendum erat: solis primanis licebat, hoc pensum conficere in superioribus Museis.

At tantum abfuit, ut, qui maiorem ad laudem aspirarent, in iussis pensis perficiendis acquiescerent, ut alia adderent, eodem tempore absolvenda. Scribebantur plerumque carmina, modo Latina, modo Graeca, modo Germanica. Quanta fuerit per illos dies contentio, quantum viguerit tum studium et industria, vix sibi persuadebunt, qui non ipsi interfuerunt his exercitationibus [58]). Neque salutare foret quum corporibus, tum mentibus, si diu tanta animorum contentione in docta studia incumberetur.

Sapienter igitur institutum erat, quod iuveniles animi insequentis hebdomadis otio relaxabantur atque reficiebantur [59]). Per illos enim dies ea colebantur studia, quae maxime cuique placebant: a magistris autem singularum deinceps classium libelli speciminis loco exhibiti in consessu collegarum et audientibus discipulis lustrabantur et censebantur. Extrema denique hebdomade censurae omnium ordinum praelegebantur et quae in proximum semestre alumnorum per conclavia habitantium constituta esset descriptio, a Rectore pronuntiabatur. Pomeridiano tandem tempore sequebatur migratio novaque contubernia inibantur omnisque supellex suo loco componebatur atque ordinabatur. Collectae posthac scriptiones censura a magistris addita permittebantur ad senatum ecclesiasticum, qui Dresdae scholarum provincialium res curabat.

Horum examinum utilitatem quum perspexisset Ilgenius, non modo conservanda ea censuit, sed quaedam etiam melius instituit. Et materiam poëticam et pensum Germanicum Latine reddendum magna cum cura confecit, ac delectus rerum semper fere aptissimus erat. Equidem bene memini, quantam vim haec pensa ab Ilgenio gravi voce et vultu ad non minorem gravitatem composito dictata in animis nostris habuerint. Primam materiam poëticam in examine auctumnali a. 1802 propositam inscripserat: *Hercules in bivio* et *δοκιμαστικόν* sive exploratorium Latina oratione exprimendum scriptum erat *de honore virtutis comite* [60]).

Verum haec dicta sunt de explorationibus, quae Portensi in ludo ita instituebantur, ut mirificae inde fluerent utilitates. His enim opportunitatibus oblatis praeclari excitabantur ingeniorum iuvenilium conatus uberrimique efflorescebant fructus. Numquam vidi postea acriores et industriae, et honoris stimulos. In alias scholas, quales per urbes conditae sunt, vix transferri possint, quae Portae facile praecipi et magno cum successu perfici poterant.

Iam primo rectoratus anno talem se praestiterat Ilgenius, qualem Portensium rerum status desiderabat. Bonam disciplinam severa constantique gravitate revocarat, licentiae frenos iniecerat, parum probatos discipulos expulerat, accuratae doctrinae copiis docta studia discentium auxerat, concordiam inter collegas firmarat hisque meritis tantam sibi auctoritatem pepererat, ut optima quaeque a novo rerum scholasticarum moderatore exspectari possent.

Nec minore laude anno insequenti clavum imperii tenebat ac reipublicae gubernacula prudenter tractabat. Ad publicam felicitatem accessit domestica. Natus est Ilgenio d. 27. m. Iun. filiolus, qui tanto maiore excipiebatur laetitia, quod ex tribus, qui prius nati fuerant filiis superstes erat nullus: solam Henriettam filiam secum traduxerat Portam. Laetus faustusque fuerat Ilgenio et scholae, quam regebat, annus millesimus octingentesimus tertius, neque annus, qui hunc excipiebat, spem optimi viri destituit. Maiora in diem capiebat incrementa disciplina et doctrina, et iam tum intellectum est, quam sapienter

fecerint, qui ad Ilgenium detulerint gravissimum munus Portense. At non cunctando, ut Fabius Ennianus ille, restituit rem, sed strenue naviterque agendo et acerrimis consiliis ludi Portensis rebus consulebat. Neque curis vacuus erat novus annus. Nam primum Weiskio Conrectori, quum propter valetudinis infirmitatem officiis fungendis impar factus esset, muneris vacatio erat petenda et impetranda. Atque Ilgenio conciliatore honestum illi datum est otium et annuum stipendium, unde satis commode vivere licebat. Discessit Porta, a discipulis luculento dono auctus, d. 28. m. Martii, postquam anno superiore, d. 24. m. Novembris iam abierat eius Vicarius, M. Arzt, sacrum munus suscepturus. Misniae deinde Weiskius, literati otii opportunitate bene et prudenter usus, degit ibidemque a. 1809 mortuus est.

In Weiskii locum continuo successit M. Charitius, qui collegae tertii adhuc provinciam gesserat, sed perbreve tempus novo muneri praeesse potuit. Nam repente, nescio quo fato adverso, tanto mentis errore affectus est, ut ab officio esset removendus. Qui casus candidi et amici hominis Ilgenio et acerbum dolorem movebat, et novas curas magnumque successoris idonei quaerendi negotium afferebat.

Verum laetior res eodem anno et scholae valde salutaris evenit, *Adolphi Gottl. Langii* adventus, cui publice delatum erat vacuum tertii collegae munus. Quod quam opportune, quam feliciter factum fuerit, brevi post cognitum est. Langius enim, olim et ipse almae Portae alumnus, quum ab ingenio,

tum ab animo ita comparatus erat, ut, qui munus vacuum capesseret, aptior meliorque reperiri vix posset. Sed ne acta agere videar, satis est relegare eos, qui facta moresque beati viri accuratius cognoscere cupiant, ad librum, cuius initio annotationis huic libello adiunctae mentionem feci. Docendi partes magna cum laude sustinuerat ante in gymnasio Berolinensi, quod Coloniense appellatur. Novum autem munus rite auspicatus est d. 14. m. Maii[61]).

Alterum Collegam, miserandi Charitii successorem, nactus est Ilgenius anno insequenti, M. *Ephraimum Ioannem Gotthelf Schmidtium*, Luccaviensis Lycei prius Rectorem. Hunc virum ingenii pariter atque elegantis doctrinae laude florentem, Ilgenius senatui ecclesiastico eum in modum commendarat, ut huic practer ceteros vacua provincia demandaretur. Qui postquam d. 22. m. Aprilis recepto more a generosissimo viro, Brand de Lindau, scholae Inspectore, in collegium magistrorum receptus est, plenus erat docentium numerus et sub talium virorum auspiciis magis magisque efflorescebat schola, quae merito inde a primis temporibus in maximis et pulcherrimis Saxoniae ornamentis et in firmissimis humanitatis studiorum praesidiis habita est.

Eodem anno Portam venit, scholae maxime lustrandae causa, Reinhardus, de hoc ipso ludo, quem studiosissime fovebat, praeclare meritus. Cuius venerandi viri praesentia quam grata fuerit magistris, in primis Ilgenio, quam salutaris etiam ipsi Portae,

non est quod diligentius a nobis narretur: sed res tam laeta non praetereunda videbatur silentio.

Non dissimilis erat novissimo anno, qui insequebatur annus millesimus octingentesimus sextus. Res scholasticae bene procedebant; non paucos bonae spei discipulos vidit Ilgenius, famaque ludi Portensis ita crevit, ut multi etiam exteri adolescentuli ad eius disciplinam confluerent et magistrorum hospitia et curam certatim expeterent. Habebat igitur Ilgenius, quod tali studii curaeque suae successu gauderet. Status enim scholae eiusmodi erat, quem maxime esse volebat. Erat schola frequens; vigebat bona disciplina; vigebant literarum studia; foris optime audiebant laudabanturque bona gymnasii Portensis. Et maior huius laudis pars sine ulla controversia debebatur Ilgenio, quo graviorem et in disciplina exercenda constantiorem Rectorem Porta habuit nullum.

Haec tamen felicitas et otium literarum Portensium non mediocriter, quamquam in breve tempus, turbatum est hostilium armorum strepitu, qui praeter omnium opinionem etiam in recessum et tranquillitatem convallis Portensis transferebatur. Iam superiore anno, quum bellum exarsisset inter Austriacos et Gallos, magni facti erant in Borussia apparatus ad arma spectantes. Exercitus prope totus, relictis patriae finibus, ingressus erat Saxoniam ac vicinas terras. Maximus in militibus cernebatur pugnandi ardor, quippe qui diuturnae pacis pertaesi ferocibus Gallis bellicam gloriam longe lateque propagatam inviderent et Germaniae libertati non immerito time-

rent. Ipsa belli Austriaci opportunitas ad societatem belli hortari videbatur, quoniam rerum publicarum peritos non fugiebat, quam perniciosa Germanis consilia volveret animo ingens Gallorum imperator. Nihilominus certas ob causas quiescere copiae Borussicae et pace Vindobonensi facta eodem, unde profectae erant, reverti iussae sunt. Bello deinde Austriaco confecto Napoleo victor id quod machinatus erat, minus celare visus est, et Borussi, ne ab hoste occuparentur, bellum acerrime compararunt, et ferociter paene a militibus flagitata sunt arma. Ita tandem factum, ut mense Septembri exercitus Borussicus iterum intraret Saxoniam et confines civitates bellumque invisis Gallis indiceretur. Quibus licet opinione citius Borussi arma cepisse viderentur, tamen, propere collectis undique legionibus, per Franconiam hostibus obviam profectus est Napoleo. Tum victo et represso primo agmine Borussorum, quod fortior quam prudentior ductabat Ludovicus, princeps Borussicus, ventum est ad geminum illud proelium uno eodemque die prope Ienam et Auerstadium, aut rectius prope Hassenhusum et Gernstadium, non ita procul a convalle Portensi commissum.

Fuit autem iste dies fatalis et Borussis funestus d. 14. m. Octobris. Legatus Napoleonis, Davustius, dux fortissimus bellique usu praestantissimus, repente a tergo Borussorum pervenerat Numburgum, ubi larga belli horrea instituta erant, a latere adorturus hostem castra sua prope Ienam habentem. Res quidem nuntiatur Borussis et robur copiarum d. 13. m.

Octobris inde ab urbe Vimaria raptim contendit in ea fere loca, unde Gallicus exercitus erupturus putabatur; sed nescio quomodo cessatur et haeretur per noctem insequentem ad Auerstadium et Gernstadium, adeoque fauces Cusanae nullo praesidio firmatae Gallis relinquuntur. Postridie quum spissae nebulae prospectum impedirent, primi agminis equitatus Borussorum paullo incautius progressus hostium, qui ad Hassenhusum instructa iam acie constiterant, tormentis reiicitur. Mox subsequitur pedes Borussicus et sub auspiciis regis et ducis Brunsvicensis aliquamdiu fortiter pugnatur. At gravi vulnere accepto ubi acie excedere coactus est, qui summae belli praeerat, res lentius geritur sensimque ordines militum acrius instante hoste turbari coeperunt tandemque pedem referre, ubi vident, periculum esse, ne a sinistro latere circumveniantur et tutus receptus impediatur. Ita geminata victoria ad Ienam et Hassenhusum de Borussis reportata, omnis Saxonia Gallis patefacta est.

Sed Portam redeundum est. Cuius incolae quanto metu et futurarum rerum cura iam die 13. m. Oct. agitati et quam trepida exspectatione distracti fuerint, facile iudicabunt, qui similes terrores belli experti sunt. Illud profecto mirandum, quod inter ipsa arma et ignes et castra hostium inermis Porta salva et incolumis steterit. Nam excepta magna vi pabuli et cibariorum, quibus hostes carere non poterant, non gravius cepit detrimentum. Post pugnam deinde Hassehusanam tam clementer habita est, ut securitati loci bene consuleretur et scholae magistrorum

vix interpellarentur[62]). Tantum honorem vel hostes clarissimo ludo Portensi habuerunt; tam aperte providentia divina huic bonae mentis palaestrae prospexit hominumque mentes ad mansuetudinem convertit.

Porta vero non tantum esurientibus Gallis commeatum praebebat, sed vulneratis etiam, qui ex acie efferebantur, opem et curam praestabat. Quibus beneficiis hostes adducti non minore liberalitate scholam habebant. Et ne quid turbarum impedimentive relinqueretur eo loco, ubi doctis Musis operari debebant adolescentuli in spem patriae succrescentes, paucis diebus interiectis vel vulnerati milites in vicinum oppidum Numburgum traducebantur. Neque unis victoribus suppeditabantur a Portensibus, quae ad victum corporumque curam necessaria erant, verum Borussis quoque et maiore quidem studio eadem cura praestabatur. Captivis etiam, qui aliquamdiu Portae asservabantur, evadendi copia facta est, qua misericordia intempestiva sane magnum in discrimen adducta est salus loci Portensis. Unus captivorum a discipulis subductus et occultatus sub summo tecto aedium, quas ipse Ilgenius incolebat, repertus est eaque fraude adeo commovebantur Galli, ut Portae igni ferroque minitarentur.

Qua iuvenili temeritate Ilgenius graviter iratus triclinium, ubi securi cibum sumebant alumni, subito ingressus atroci vultu, tonante voce et baculo, quem manu gestabat, sublato maiorem in modum increpabat imprudentiam et audaciam eorum, qui tale faci-

nus patrassent. Verum nemo inventus est, qui tale quid a se conceptum esse fateretur.

Hoc in tempore vere paterna cura Ilgenius scholae saluti prospiciebat eaque efficiebat, ut neque disciplina, neque instituta gymnasii turbarentur. Post illos autem dies primo curae et timoris, tum terroris et turbarum plenos numquam fere quies rerumque ordo interpellatus est, praesertim quum brevi tempore interposito pax concessa est Saxonibus adeoque foedus neque exoptatum, neque salutare cum victoribus initum. Nec nova, qua Fridericus Augustus Elector ornabatur, dignitas regia magno gaudio fuit bonis civibus luctumque fatalis anni lenire potuit.

Proximus annus Saxonicis terris propter societatem cum Germaniae hoste factam gravis accidit. Portensium tamen otium nonnisi strepitu armatorum in via publica prope scholam proficiscentium interdum turbatum est. Ordo rerum intestinarum et doctorum studiorum quietus et constans erat.

Extremus huius anni mensis fuit Ilgenio luctuosissimus, neque cladis, quam ista tempestate acceperat, umquam sine acerbo dolore recordabatur. Unicam habebat filiam, nomine Henriettam, cuius ante iam facta est mentio. Atque haec quidem non minus ingenium et animum quam os vultumque patris referebat, ita ut mira similitudine fere totum parentem exscripsisse videretur. Corpore erat procero, apta membrorum figura, forma decora et liberali, mira coloris sanguine et rubore suffusi suavitate, oculis vegetis et argutis. Licet ea esset alacritate

atque hilaritate, quam laudamus in puellis liberaliter et ingenue educatis, tamen si res postulabat, quamdam prae se ferebat gravitatem et constantiam, quae raro in tantula aetate reperitur. Accessit singularis docilitas, ut facile, quae tradebantur, perciperet et ad altiora, quam in puellares annos cadunt, aspiraret. Patrem vero tanta prosequebatur caritate, ut nihil supra. Unde non mirum, quod huic esset in deliciis et amoribus. Videbat enim, quanta spes et animi et mentis in dulcissima filia eluceret; ac poterat confidere, talem eam futuram, qualem maxime esse vellet.

Hanc egregiae spei filiam quum haberet Ilgenius, erat profecto, quod tali prole gauderet. At laetissimam spem de Henrietta sua conceptam repente praecidit vis fati incxsuperabilis. Venerat Portam dies aliquot laetos in domo Ilgenii peractura cognata quaedam virgo, filia Rösleri, non procul Numburgo sacra ruri facientis, qui, ut vidimus, sororem Ilgeniae natu maiorem in matrimonio habebat. Vicesimum quidem compleverat annum et viro iam desponsa erat, sed grata Henriettae hospes. Habitabat intra moenia ludi Portensis et medicus, cui corporum cura publice demandata erat, et chirurgus, qui laesis corporibus mederetur, cuius filiabus cum domo Ilgenia intercessit consuetudo. Ad has virgines deducitur Rösleria vespertino tempore diei secundi m. Decembris. Confabulando, iocando, ludendo tempus iucunde teritur, et opinione citius vicini horologii sono admonentur puellae, adesse horam, qua sit domum redeun-

dum. Lactae abeunt ambae, ne levissimam quidem suspicionem eius calamitatis habentes, quae paullo post accidit.

Erat dies secundus m. Decembris ac tenebat tempestas, qualis antecedere solet adventum hiemis, turbida, ventosa, pluviosa: coelum caliginosum nec ulla siderum luce collustratum. Lucernam, quae revertentibus praeluceret viamque monstraret, ante ipsas aedes vehementes flatus venti restinxerunt. Hortantibus chirurgi puellis, ut lumen denuo accenderent, ab illis respondetur: certam notamque esse viam et facile perveniri posse domum sine ope lucernae. Bono igitur animo discedunt, manus manibus iungentes, ut tutius incedere queant. Transeundus erat ponticulus, qui fossae ex Sala fluvio derivatae impositus est. Carebat is ponticulus, quod merito mirari licet, utrimque loricis, quibus transitus tutus praestaretur. Virgines autem medium pontem propter coenum vitantes, nimis prope ad marginem procedunt. Tum subita vi tempestatis oppressae in frigidas deiiciuntur undas, et quum crepidinibus ab utraque parte exstructis prohiberentur in siccum evadere, mox fluctibus hauriuntur et nemine promptum auxilium ferente cito ulterius abripiuntur. Auditus quidem erat clamor in aquis luctantium puellarum, sed in tempore non succurrebatur, aut succurri potius non poterat propter loci difficultates. Brevi tamen excitatur magna pars incolarum Portae, qui misero luctu et eiulatu parentum commoti omnia tentant submersasque virgines investigare

et servare conantur. Ilgenius pater incredibili dolore percitus et carissimae filiae recuperandae studio occaecatus non multum aberat, quin per tenebras noctis in undas delapsus periret. Dimidiae horae spatio interiecto tandem contingit scrutantibus deprehendere Ilgeniam radicibus arboris prope ripam impeditam. Extractam et propere domum relatam medicus frustra in vitam revocare studet. Nam vis vitalis ita exstincta erat, ut omnibus artis medicae remediis resuscitari non posset. Rösleria insequente demum die inventa est ad molam vicini pagi Altenburg.

Nolite quaerere, quantum in luctum inciderint tam adverso casu parentes. Non gravior affligere eos poterat clades. Amissa tantae spei filia eaque unica vix tolerabilis iis videbatur vita. Ilgenius aliquamdiu muneris officiis sustinendis impar erat. Ingens luctus omnium, qui eum diligebant et filiam immatura morte interceptam noverant, invasit animos: tristes iustaeque audiebantur querimoniae: nil acerbius, nil atrocius evenire potuisse: merito deplorandam esse talem iacturam: obiisse in primo flore aetatis puellam, de qua optima quaeque sperare potuissent parentes [63]). Die 5. m. Decembris tenebris obortis comitante cuncta Porta exstinctae virgines, eodem fato oppressae, eodem componuntur sepulcro. Hoc in funere qui fuerint gemitus, qui fletus, qui luctus, facilius cogitari quam verbis potest describi.

Post exsequias non minore honore quam miseratione Portensium celebratas senatus ecclesiasticus

invitat Ilgenium Dresdam. Tanta enim erat talis viri et cura et admiratio, ut afflictum eius animum omnibus modis recreandum et confirmandum esse censerent. Non repudiavit Ilgenius tam liberalem et honorificam invitationem. Dresdam profecturus pervenit Lipsiam et apud Hermannum, suavissimum et tum clarissimum disciplinae suae alumnum devertit. Illo tempore vidi ego optimum virum, neque sine intimo dolore potui animadvertere, quanto esset in luctu et quanto desiderio teneretur tam cari capitis acerbo fato erepti. Neque Dresdense iter destituit spem amicorum. Inde enim aliquot hebdomadibus interpositis rediit Portam et corporis valetudine firmata et animi dolore ita sedato, ut muneris gravissimi partes bene sustinere posset, summumque etiam solatium ex hac ipsa re percipiebat.

Post annum luctus et maeroris plenissimum secutus est laetior et, si res scholasticas spectamus, magni momenti annus. Ac primo quidem loco commemoranda est honorificentissima et exoptata Friderici Augusti, regis Saxoniae a celebratissimo illo Erfurtensi conventu principum Dresdam redeuntis praesentia. Die 15. m. Octobris ante portas scholae provincialis rex ita substitit, ut residens in carpento aperto acciperet carmen Latinum alumnorum et extraneorum nomine oblatum [64]), et alloquium Rectoris Ilgenii benigne audiret ac de statu ludi Portensis quaedam ex eodem quaereret. Atque hic praesentis principis honos scholae neque antea umquam obtige-

rat, neque postea obtigit. Unde non mirum, quod ea res Portensium animos diu et suaviter teneret.

Ab hac laetissimae rei commemoratione veniendum est ad graviorem. Iam inde ab initio huius saeculi, quod multa nova in re paedagogica et scholastica vidisse et tulisse constat, in senatu ecclesiastico Dresdensi de emendandis gymnasii Portensis rationibus agitata fuerant consilia. Nam pristina eius instituta quum non satis convenire viderentur nostris temporibus, eius moderatores non diutius ab ista schola arcenda putabant, quae recentiore aetate melius rectiusque in rebus scholasticis et inventa et multis in gymnasiis etiam constituta essent. Neque diffitendum, priora instituta ita comparata fuisse, ut huic seculo parum apta et consentanea essent, quamquam quae aliis scholis convenirent et conducerent, non item in Portensem ludum commode transferri poterant. Desiderabantur Portae non pauca, quibus schola bene instituta carere commode non potest. A Latinis et Graecis si discesseris, non multum temporis tribuebatur aliis disciplinis, quibus puerilis aetas ad politiorem humanitatem informanda est. Cognitio historiarum, geographiae, rerum naturalium adeoque vernaculae linguae institutiones et exercitationes scribendi prorsus paene negligebantur, nisi quis discentium suo Marte, quod aiunt, haec tractare et privatim addiscere studeret. Unus Schmidtius, Mathematicus, hibernis mensibus primae classis civibus, quicumque operam ipsi dare vellent, et prosae et poëticae orationis rationem ac praecepta in privatis

scholis tradere solebat, eosdem etiam publice geographiam docebat. At quum in notandis locis opportunitate oblata adiungeret historiam litcrariam, res paullo tardius procedebat, neque, ut auditores universam geographiam uno in conspectu viderent, effici poterat. Ars linearis porro et cantandi exercitationes fere nullae erant. Accessit, quod propter paucitatem magistrorum et auditoriorum, saepe binae, nonnumquam etiam tres una classes eumdem magistrum audire coactae erant.

Haec et alia intuentes viri, quorum sapientiae suprema cura rerum scholasticarum publice demandata erat, per plures iam annos in eo elaborarant, ut res scholasticas melius ordinarent. Id quidem in primis curabant illustrissimi viri, Hohenthalius et Nostizius Jaenkendorfianus, Ferberus, senatus ecclesiastici praeses et Reinhardus, qui illorum consilia sua peritia regebat. Ab his igitur, quae consignata ac descripta et publica deinde auctoritate confirmata fuerant, tandem a. 1808 mense Novembri a Nostizio Portam publice misso scholae magistris ita proposita et commendata sunt, ut ea tamquam legem normamque sequerentur.

Longum est singula dinumerare, quae illo tempore instituta fuerint, praesertim quum alio loco hac de re exposui[65]). Ac nemo, puto, harum rerum aequus et intelligens iudex infitiabitur, multa fuisse illo tempore emendata et scholarum habendarum rationem pleniorem factam: tamen si quis diligentius in novam rei scholasticae descriptionem inquisiverit, re-

perientur non pauca, quae notari et merito reprehendi possint.

Scholarum quidem numerus auctus est, sed magis inferiorum ordinum discipulis quam iis, qui superioribus ascripti erant classibus. Itaque satis otii relinquebatur, quod privatis studiis tribui posset; neque omnino ita mutata est disciplinae Portensis ratio, ut detrimenti aliquid caperet respublica. Illud vero facile erit ad intelligendum, ex hac ipsa rerum scholasticarum mutatione multas occupationes multasque curas in Ilgenium redundasse. Novi quaerendi erant libri, quibus magistri in docendo uterentur; describendae et assignandae erant scholae; tempora diurna aliter dividenda, alia huius generis curanda, quae magnopere ipsum exercebant, quippe qui non facile nec sibi, nec collegis hoc in negotio administrando satisfaceret.

Fuit igitur hic annus atque insequens plenissimus negotiorum et eorum multitudine corpus sensim ita affectum est, ut aestivo tempore aliquamdiu ad Biberanas aquas non ita procul Portensi loco valetudinis reficiendae causa versaretur.

Annum millesimum octingentesimum nonum tacitus praeterire non possum, quoniam spatiis academicorum studiorum decursis, mihi optanti contigit, non solum Portam, ad almam meorum studiorum matrem, sed etiam, quod maius erat, ad Ilgenium ipsum redire. Habebat is, ut supra vidimus, filiolum suavissimum, Constantinum, quem inde a teneris annis ita amaveram, ut eum primo manibus, postea in

oculis etiam gestarem. Et puerulus mei mirifice amans erat, nec raro clam parentibus ad superiorem partem aedium, quam alumni tenebant, manibus pedibusque enitens me quaerebat et me in hortos scholasticos comitabatur. Quam mutuam caritatem parentes animadvertentes mihi Porta discedenti non dubiam spem ostenderunt, fore, ut, si meis rationibus conveniret, puerulum in meam traderent disciplinam. Bis quotannis per feriarum occasionem Ilgenianam domum visere solebam, atque ita semper excipiebar, ut numquam sine desiderio et dolore quodam ab amantissimis hominibus discederem. Redii igitur ad eos tamquam ad parentes, qui me veluti alterum filium habebant. Neque ulla umquam oblivio temporis in domo Ilgeniana exacti memoriam ex animo meo delere poterit. Quam iucunda autem et frugifera mihi fuerit quotidiana cum Ilgenio consuetudo, non est profecto, quod pluribus dicam et ostendam. Opinione quidem citius et Ilgenio non satis probante consilium meum, statione mea discessi, paene reluctanti mihi oblata scholastici muneris conditione in gymnasio Hennebergico, quod Schleusingae est; verum mox in gratiam mecum rediit meque eodem quo ante amore prosecutus est. Illo autem tempore, quod apud Ilgenium meum transegi, copia data erat, eius vitam, mores, animum virtutesque melius cognoscendi. Multa etiam, qua erat in me voluntate, de muneris sui rationibus ita communicavit, ut, quam difficiles eius partes essent, facilius viderem et sortem optimi viri nonnumquam etiam dolerem. Praeter-

mitto alias opportunitates stationis Portensis, quae magis ad meas quam ad Ilgenii res pertinent.

Secutus est annus Portensi ludo et propterea Ilgenio ipsi laetus felixque. Namque anno millesimo octingentesimo undecimo iussu regis Friderici Augusti, quae erat eius iustitia et liberalitas, exstincto in Saxonia Berlepschio, ultimo magistro equitum ordinis Teutonici cuncti eius reditus ex praediis Zwätzen, Lehsten, Liebstedt, Nägelstedt, Griefstedt assignati sunt partim patriis academiis, partim scholis provincialibus[66]). Quo luculentissimo dono quantum adiumenti et praesidii accesserit ludo Portensi, nihil attinet hic uberius demonstrare. Verum haec liberalitas principis eo magis laudanda et admiranda erat, quo maiores erant calamitates, quas miserae Saxonicae terrae, bis ad belli perniciosi societatem compulsae, nuperrime acceperant, ita ut aerarium prope exhaustum esset. Neque semel optimus rex abstinentiae et innocentiae edidit documenta, vel iis temporibus, quibus graviora et iniquiora non facile ulli principi acciderunt.

At quo laetior ac prosperior fuerat annus, quem diximus, eo luctuosiores et funestiores erant insequentes anni quum universae Saxoniae, tum scholae Portensi. Anno enim proximo ingenti bello a Gallis eorumque sociis adversus Russos concitato, saepe Portensium studia et otium strepitu armorum et tumultu praetereuntium legionum Gallici imperatoris turbabantur, ut Napoleo non tantum Russiam expugnaturus, sed remotiores etiam terras victricibus

armis lustraturus videretur. Inde a primo vere usque ad finem huius anni continuatis fere agminibus contendebatur in regnum Russicum: et maior pars armatorum Portam praetergressa est. Quum tantae essent potentissimi imperatoris copiae, nemo tum suspicatus est, quam atrocia Martis spectacula paucis mensibus post visuri essent Portenses.

Accessit eodem anno iactura viri de schola Portensi optime meriti, Reinhardi Dresdensis obitus, qui die 7. m. Septembris in regia urbe defunctus est. Divis venerandi viri manibus Portae ea qua par erat pietate persoluta sunt iusta funebria d. 12. eiusdem mensis, quo vita excesserat atque ita facta, quum a magistris, tum a discipulis, ut non obscurum esset, quam dolenter talis patroni obitum ferrent[67]). Divinitus quasi vir immortalis ad coelestes sedes evocatus videbatur, ne videret acerbas Saxoniae clades et scholam, quae semper ipsi fuerat longe maximae curae, a patria avulsam et alieno imperio traditam.

Exercitu Gallico partim hostium fortitudine et constantia, partim coeli et tempestatis iniquitate gravitateque in Russia confecto ac tantum non deleto, bellum a Napoleone de integro et plane admirabili studio comparatum est, ut iam die 2. m. Maii prope oppidum Lucenam vicumque Gross-Görschen fieret proelium, in quo non multum aberat, quin Galli a foederato Russorum et Borussorum exercitu reiicerentur eoque receptu Porta in magnum periculum adduceretur. Eodem tempore non semel intra ipsa

moenia scholae conspiciebantur hostiles cohortes locique tranquillitas magis quam superiore anno turbabatur. Nec magistrorum aedibus parcebatur, quae aliquoties gravia militum contubernia senserunt. Frumenti, pabuli et iumentorum non levis facta est hoc in tempore iactura, quam exhaustis paene horreis alumni quoque sentire coeperunt. Secutum est mense Octobri eius anni maius discrimen, cuius magnitudo nisi divinae providentiae cura propulsata fuisset, magnopere sane verendum erat, ne gravissima vulnera almae doctorum studiorum parenti infligerentur. Gallis enim non sine magno sanguine tandem ad Lipsiam victis fugatisque, haud procul abfuit, quin hostes receptum in loca Rheno flumini vicina parantes viam publicam, qua recta contendi eo solet, ingressi Numburgum Portamque pervenirent et utrique magnam calamitatem afferrent. At bene factum, ut Galli terrore praegressi hostis perculsi inde ab oppido Leucopetra alio iter converterent. Novum tamen periculum Portensi ludo imminebat, quum d. 21. m. Oct. colles prope Cusanum vicum a legato Napoleonis, Bertrando, obsessi et defensi per Austriacas legiones duce Giulaio acriter oppugnarentur tandemque expugnarentur. Benigne et clementer habita tum est Porta a Russis et Austris, Thielemanno, Platovio et Schwarzenbergio ducibus; praesidia etiam data sunt, quae a schola omnem iniuriam militum per ista loca aut proficiscentium, aut vagantium prohiberent [68]). A summo belli duce Schwarzenbergio d. 22. m. Octobris et postea ab augustissimo et cle-

mentissimo Borussorum rege per Hardenbergium interpretem missae sunt literae, quibus auxilium praesidiumque clarissimo ludo Portensi promissum est. Tantum enim apud potentissimos illos Germaniae vindices et statores valebant literae optimaeque artes, ut vel aliena in terra iustum iis haberent honorem et in primis eam scholam salvam et incolumem servarent, quae per longam annorum seriem ad omnem humanitatem iuvandam augendamque plurimum profuisset.

Hoc autem in tempore et Ilgenius et Herbstius, Portensis scholae Oeconomus, summa cura summoque studio tueri res Portenses iisque consulere prudenter omnibus modis conati sunt, neque eorum conatus successu caruerunt. Eorumdem virorum opera impetratum est auxilium principis Russici, Repnini, qui victorum iussu et auctoritate Saxonicas terras regebat reditusque earum administrabat.

Napoleone in ipsis Galliis post acerrimas pugnas devicto et in exilium misso, in celeberrimo illo Vindobonensi conventu principum et virorum, qui illis erant a consiliis publicis, d. 18. m. Maii a. 1815 miseranda Saxonia ita divisa est, ut pars regno Borussico attribueretur, cetera pars pristino domino et regi Friderico Augusto relinqueretur. Quae res initio, ut par erat, iustum acerbumque dolorem nec mediocre desiderium prioris principis in animis eorum excitavit, qui vera patriae caritate et optimi regis amore ducebantur, id quod ipse novus rex non poterat non laudare. Non mirum igitur videri debet, Portenses

quoque hac rerum publicarum conversione doluisse, nec statim pietatem erga Fridericum Augustum abiecisse. Neque Ilgenius dolorem suum dissimulabat, praesertim quum sequerentur tempora curarum et negotiorum plena. Sensim quidem et pedetentim mutabantur, quae collegio summorum virorum, qui regi erant a rebus scholasticis, immutanda et ad huius saeculi rationes accommodanda videbantur: tamen non pauca aliter atque antea fuerant, sunt praecepta et instituta, et non minus internae quam externae scholae rationes novam quamdam speciem et formam induerunt.

Si verum est, quod aiunt: consuetudinem quasi alteram esse naturam, et veterem consuetudinem naturae vim obtinere; nemo profecto reperiatur, cui valde admirabile videatur, Ilgenio non cuncta placuisse, quae publice praecipiebantur et commendabantur. Verum graviores et honestiores accessere causae. Floruerat adhuc schola Portensis, et multi discipuli posthac accuratae eruditionis laude excellentes inde prodierant, quorum non pauci et professoria et scholastica munera in Borussia ornabant. Viguerat etiam disciplina, quamquam scriptae leges aut paucae, aut paene nullae propositae erant. Rector scholae omnia propemodum solus cum collegis suis administrabat et gubernabat; rarissime de rebus scholasticis ad Inspectorem, vel ad senatum ecclesiasticum referebatur. Profectus discipulorum, qui iusto tempore in prima classe exacto discessum in academiam parabant, non publice et diligenter scribendo et quaerendo explorati

fuerant. Breviter ac sine magno negotio conficiebantur testimonia abeuntium alumnorum. Habuerant porro adhuc immunitatem militiae, quicumque animum ad altiora studia colenda appulerant. Haec atque alia quum partim mutarentur, partim tollerentur, unde Ilgenio satis multa nascebantur negotia et molestiae: graviter nonnumquam novum rerum ordinem ferebat, nec omnia probabat et laudabat, quam diu poterat et fas erat, arcere etiam nova illa instituta a Portensi schola conabatur. Id vero faciebat, ut a prima adolescentia assueverat, libere atque ingenue, haud timide quaerens, quod tale quid sibi sumeret, excusationis latebras, aut, quibus sententiam suam tuéretur, dialecticas captiones. Nec vero defuerunt, quibus Ilgenius bonae causae iuvandae studio abreptus interdum nimius fuisse in institutis suis tenendis ac pertinacius etiam quam prudentius in proposito suo perseverasse videretur. Nihilominus optimum virum propter hoc studium neque damnandum, neque temerariae pervicaciae ridiculaeve antiquarum rerum admirationis accusandum putarim. Neque aequos et rei scholasticae peritos viros fugere potuit, quam honesta esset reluctandi repugnandique causa. Tantum enim abfuit, ut ingenua libertate, qua utebatur, in diuturnam offensionem virorum incurreret, quibus suprema cura publicae institutionis a rege tradita erat, ut cognita posthac talis et tanti viri excellentia iisdem magis magisque probaretur. Quicquid enim agebat Ilgenius, non sua causa, sed scholae amore ductus agebat: hac nihil prius, nihil antiquius

maiusque habebat. Scholae causa omnem laborem, omnes molestias, etiam offensiones subeundas putabat, suarum rerum ratione plane omissa. Ac iure dubitari potest, an ullus umquam eorum, qui gymnasiis regundis praefuerunt, maiore cura, maiore studio, adde, feliciore successu res scholasticas administraverit quam Ilgenius. Has vero nulla re melius iuvari laetioraque incrementa capere posse iudicabat, quam accurata et interiore doctae antiquitatis cognitione atque iis studiis, quae ad eam augendam atque ornandam valerent. Accessit, quod nimia varietate rerum in schola discendarum iuvenilia ingenia magis distrahi, debilitari et quasi diffluere, quam salubriter ali, corroborari, confirmari censeret. Iam quum bene nosset, ludi Portensis famam adhuc imprimis conservatam esse exquisita illa scientia antiquarum literarum, oportebat virum scholae studiosissimum in eam adduci opinionem, ut existimationem Portae in discrimen vocari arbitraretur, si maiorem in modum immutarentur instituta, per quae mirifice adhuc viguisset et floruisset. Ita factum, ut minus promptum facilemque se praeberet, quum publice iussum esset, gymnasium Portense fingere et componere ad eam rationem ac normam, quae in Borussicis gymnasiis recepta esset. Pugnandum igitur putabat veluti pro aris et focis, ne quid detrimenti caperent res Portenses; Ilgenium tamen nonnumquam nimium timuisse scholae adeoque probanda interdum improbasse, nemini, puto, mirum videbitur, qui ea reputaverit, quae paullo ante dicta sunt. Non poterat,

qui a vetere disciplina profectus esset ac scholasticam institutionem magis ad ingenia iuventutis irritanda, exercenda et acuenda quam ad utilitatem, ad rerum discendarum multitudinem, certumque vitae genus accommodandam esse putaret, omnino laudare et praeoptare, quae nostra memoria in scholis ordinandis praecepta et inducta erant, praesertim quum nova novis institutis truderentur atque expellerentur. Quapropter Ilgenius a scholarum institutionibus arcendam putabat et πολυμαθείαν et πολυπραγμοσύνην cum accurata et subtili literarum scientia haud conciliandam. Nec raro et graviter reprehendebat eos, qui recentiore aetate eiusmodi scholas condidissent, quibus unum propositum esset, ut neglecta pristina discendi severitate et institutionum simplicitate, discendi operam discentibus faciliorem iucundioremque omnibus modis redderent et rerum tradendarum orbem nimis amplificarent. Inde enim neminem fere prodiisse, qui ullo in genere optimarum literarum excelluerit aut magnam nominis famam adeptus sit.

Fuit initium insequentis anni luctuosum Ilgenio eiusque genti: obiit velut placido somno sopitus die 24. m. Februarii a. 1816 pater grandaevus, anno aetatis octogesimo quarto exacto. Cuius obitum etsi filius iam pridem animo praeviderat, tamen quum tandem consecutus est, largis lacrimis funus hominis sibi carissimi et venerandi prosequebatur. Tranquillam non modo omnique cura vacuam, sed felicem etiam insigni pietate unici filii degerat senectutem. At non ita multo post laetior res animum Ilgenii

exhilaravit et ad novam spem erexit. Rediit enim sub tempus paschale ex scholae Dondorpiensis — cui Deus faveat! saluberrima disciplina Constantinus filius, tredecim prope annos natus atque ita institutus et praeparatus, ut iam tum bene de tantula aetate sperare possent parentes. Multum tribuebat Ilgenius progymnasio illi, neque immerito, id quod ipse expertus pro certo dicere non dubito. Quapropter non semel eum iudicantem audivi, bene consultum fore Portensi gymnasio, si plura Dondorpiensi similia progymnasia instituta essent.

Filium reducem, qua erat prudentia et vero in eum amore non suam domum recepit, sed in contubernium alumni primae classis dedit, qui morum pariter honestate ac studiorum laude cognitus probatusque erat. Ex quo instituto quantae utilitates nascantur, supra iam dictum est, quum leviter attigimus scholae Portensis disciplinam. Nec falsa est parentum spes atque exspectatio. Ita paullatim Constantinus proficiebat in optimis literis et eo doctae antiquitatis studio imbuebatur, ut pater non tam sperare quam confidere posset, talem ipsum futurum, qualem filium esse maxime volebat.

Eodem tempore nova facta est munerum et honorum Ilgenii accessio. Nam mense Martio rite et honorifice regia auctoritate et iussu ornatus est dignitate meritis quaesita, ex qua Consistorio Magdeburgensi esset a consiliis. Nemini umquam, opinor, talis honos maiori obtigit iure.

Idem annus mihi quoque fuit valde illustris.

Nam hoc ipso anno Ilgenio auctore et suasore Schleusinga discessi et vacuum in schola cathedrali Numburgensi suscepi munus magistri tertii. Regebat hoc gymnasium Wernsdorfius, et singulari humanitate et accurata doctrina spectatus, quo non habui collegam coniunctiorem. Nec mediocriter me movebat almae Portae vicinia, imprimis consuetudo cum Ilgeniana domo renovanda. Ac numquam me poenituit quadriennii apud Numburgenses iucunde et utiliter transacti.

Sed missis domesticis ad publicam Ilgenii vitam revertamur. Ac primum quidem tacitus praeterire nequeo, quod luculento esse potest documento, quam vere amans fuerit Ilgenius Portae. Eo ipso tempore (a. 1818) ubi ex nova rerum scholasticarum forma non leves optimo viro nascebantur curae et molestiae, oblata ei est Vimariensis gymnasii gubernatio atque ita oblata est, ut non facile alius talem conditionem repudiasset, praesertim in tempore, quo statio Portensis non ita grata ac iucunda esse poterat. At Ilgenius publicae scholae quam privatae utilitatis amantior, maluit eo loco remanere, quo divinitus sibi missus videbatur. Quae pietas quam salutaris fuerit Portensi ludo, postea cognitum est, quum decem annis amplius eum regere atque gubernare perrexit.

Scholae Portensis instituta, ut paullo ante narravimus, inde ab anno millesimo octingentesimo septimo decimo non dicam subversa et sublata sunt, sed tamen multis modis mutata sensim et amplificata. Inde non mediocres curas redundasse in Ilge-

nium, quis tandem est, quin facile videat? Quas curas aliquantum levavit res quum Ilgenio, tum multis aliis, quibus antiquitates patriae cordi erant, grata et exoptata. Anno enim huius saeculi millesimo octingentesimo undevicesimo condita est, maxime consilio et opera Ilgenii, Langii et Lepsii Numburgensis, qui olim Ilgenii, ut vidimus, fuerat auditor, societas nova, cui propositum erat, antiquitates Saxoniae et praecipue Thuringiae, ut tumulos, sepulcra, aras, prisca vasa, omnis generis instrumenta, arma, tela, alia eiusmodi investigare atque illustrare. Harum rerum amore ita tenebatur Ilgenius, ut constituta illa societate mirifice gauderet. Quomodo haec paullatim orta sit et quibus legibus temperata quamvis per se fuerit narratio iucunda, tamen propter angustos huius libri cancellos nunc praetermittenda[69]). Et quum aliquot annis post (a. 1824). Numburgo Halas traducta est illa societas, ab ea non recessit, sed eius sodalem se permanere voluit.

Accedo ad annum (1820), qui fuit non unam ob causam Ilgenio gravissimus. Longum tamen est atque molestum, diligenter exponere, qui tandem factum, ut non multum abesset, quin Porta abiret. Nec tamen prorsus silentio omittenda res est, praesertim quum iam pridem multorum in notitiam perlata sit. Visus enim est nonnullis sive propter annos, sive, quod verisimilius est, propter nimium veterum institutorum amorem, a nova rerum forma abhorrentem, parum aptus, qui porro ludum Portensem sapienter et salubriter gubernaret. Facta est igitur ei

conditio academicae professionis capessendae. Provincia De Wettii discessu vacuefacta oblata ei fuisse narratur. Hanc accipere Ilgenius noluit, sed Halensem academiam pracoptavit, retento integro salario, quo fructus esset Portae. Res ad abitum spectare videbatur. Nam ipse Ilgenius initio m. Octobris, quum Nordhusam ego discessurus venerabili viro valedixi, diserte et pro certo declaravit: Tu, mi Krafti, si Portam posthac redieris, me non videbis: ego quoque brevi hinc discedam. Placuit me alio traducere ac Portensem provinciam alii gerendam demandare. Idque dixit tanta animi commotione, ut lacrimis temperare non posset, et aegre se ex meo amplexu divelleret. Verum res aliter ac putarat, evenit, et decem annis diutius munere suo gravissimo magna cum laude functus est.

Eodem anno scripsit, sollemnia natalicia scholae Portensis celebranda indicturus, animadversiones philologicas et criticas in carmen Virgilianum, quod Copa inscribitur. Hoc in libello tantam exquisitae doctrinae copiam, tantum ingenii acumen tamque praeclaram Latinae orationis facultatem ostendit, ut ab omnibus, qui his de rebus iudicare poterant, vehementer laudaretur. Neque infitiandum est, fuisse hoc specimen eruditionis scholasticae plane singulare, cuius generis libelli rarissime ex scholarum umbris prodire solent [70]). Unde non mirum, quod illae animadversiones non sine quadam admiratione legerentur. At non solum hoc libello scholastico valde commendatus est Ilgenius summis viris, quorum curae

et sapientiae gymnasiorum custodia a rege data erat, sed maiorem in modum ipse sese iisdem viris commendavit, quum publice invitatus una cum Langio venisset Berolinum. Ibi enim integri atque intelligentes existimatores, qualis et quantus vir esset, facile viderunt eumque conservandum Portae satius iudicaverunt. Numquam enim postea suo loco talem Rectorem movendum esse censuerunt, penes quos rerum Portensium erat suprema moderatio, et voculae vel iniquorum vel imperitorum vituperatorum repente conticuerunt.

Silentio hic non praetermittenda est mors viri honestissimi et cunctis discipulis, qui operam ipsi dederant, venerabilis senis, *Joa. Gottl. Schmidtii*, qui inde ab anno 1773 usque ad annum 1819 mathematici munus summa fide nec minore utilitate administrarat. Qui quidem vir, cuius meritae laudes et supra et in annotatione celebrantur, placide defunctus erat vita optime acta d. 6. m. Iulii 1820. In eius funere quanta pietate candidum et vere iustum hominem coluerint omnes, quibus cognitus erat, clarissime cernebatur. Fuit Ilgenio quoque in paucis carus et dilectus et Schmidtius Ilgenium mutua voluntate et observantia prosequebatur. Neque Ilgenio dolenti et lugenti, id quod aliquoties accidit, vel consilio, vel solatio defuit.

Postero anno (1821) res laetissima obtigit Portensibus. Scholam cogniturus ad eos pervenit vir excellentissimus et de omni cultu humanitateque per terras Borussicas praeclare meritus, *Liber Baro ab*

Altenstein. Cuius viri praesentia quam grata et exoptata fuerit praeceptoribus, in primis Ilgenio, quam salutaris etiam scholae ipsi, non est quod pluribus hic doceamus.

Fuit hic ipse annus patri Ilgenio admodum memorabilis ac laetitiae plenus, quod Constantinus filius exeunte mense Septembri, exploratione profectuum in optimis literis factorum non tantum rite, sed summa cum laude superata, dignus a magistris iudicatus est, qui ad graviores disciplinas in academia colendas admitteretur. Hunc unicum quum ex numerosa prole superstitem haberet filium, facile est ad coniiciendum, quo gaudio parentis animus perfusus fuerit, quum sperare posset, Constantinum ad paternas laudes aspiraturum esse neque indignum earum fore aemulum. Misit eum Lipsiam, non modo quod ipse olim Lipsiensis academiae civis fuerat, et multa ibi beneficia perceperat, sed persuasum ei erat, posse filium, si recte uteretur clarissimorum doctorum institutionibus, multum proficere in iis artibus atque disciplinis, quibus omnis eruditio continetur. Praeterea habebat illa in urbe non paucos et notos et amicos, etiam inter professores academiae, ita ut filii studiis non minus quam vitae omni egregie Lipsiae consultum videretur. Neque haec spes patrem optimum fefellit.

Annus, qui sequebatur, et scholae et Ilgenio afferebat satis quum gaudiorum, tum dolorum. Laeta acciderunt haec: librorum et aliorum subsidiorum in omni artium literarumque genere utilium, physici im-

primis apparatus, non mediocris facta est accessio; novum auditorium, quo maxime opus erat, additum et commoditate et claritate et elegantia insigne; egregia pictura altaribus templi sacri ornandis destinata singulari cura et liberalitate summi viri ludi Portensis studiosissimi, Liberi Baronis ab Altenstein, permissa; alia praeterea ad aedes scholasticas partim amplificandas, partim melius commodiusque instruendas decreta pararique coepta sunt.

At gravem etiam suscepit Ilgenius dolorem, quum mense Maio Porta obiisset *Carolus Ferdinandus Wieck*, qui per quadriennium et professoris et oratoris sacri partes magna cum laude sustinuerat. Cuius viri discessum eo gravius tulit, quod familiarissime eo adhuc usus erat, et amicissimo sibi homini quicquid animo suo sentiret tuto posset committere. Huius coniunctissimi collegae et amici consuetudine aegre carebat. Bene tamen factum, ut hoc desiderium leniretur et compensaretur suavissima aliorum collegarum pietate et coniunctione. Prae ceteris Ilgenii animum ac voluntatem sibi conciliavit *Iacobi*, mathematicarum maxime disciplinarum professor, vir accuratae doctrinae pariter atque humanitatis et candoris laude commendatus et probatus. Cum hoc fidissimo collega usque ad extrema tempora stationis Portensis coniunctissime vivebat eiusque sermonibus et officiis mirabiliter delectabatur.

Munus autem scholasticum et sacrum, quod Wieckii discessu vacuum factum erat, delatum est plane ex Ilgenii sententia dignissimo et tali provin-

ciae tuendae prorsus idoneo viro, qui olim et ipse Portensis disciplinae alumnus fuerat *Christ. Gottl. Lebr. Grossmanno*, qui in vico Groebitz prope Numburgum sacra adhuc fecerat et otium rusticum in antiquitatis praecipue studiis felicissime collocarat. Qui novus Ilgenioque propter multas animi ingenii-que virtutes valde exoptatus collega munus auspicatus est d. 18. m. Octobris et a magistris ita exceptus, ut quantum ipsi tribuerent, facile appareret.

Denique initio m. Novembris Porta decessit *Ernest. Constant. Herbst*, qui per quadraginta annos non minore cura et studio, quam laude et felicitate rei rusticae et aerarii Portensis praefectura functus erat. Qua deposita, ut affectae valetudini melius consulere posset, Numburgum habitatum concessit, ita tamen, ut aliquam curam rerum Portensium porro retineret. Quem virum de agro et ludo Portensi bene meritum non sine dolore quodam abeuntem viderunt magistri, quibuscum coniunctissime adhuc vixerat eorumque rationibus optime prospexerat.

Proximus annus (1823) non caruit egregiis liberalitatis et curae publicae documentis. Auctoritate et voluntate supremi per fines regni Borussici rerum scholasticarum praefecti, Liberi Baronis ab Altenstein, aucta est quum libraria supellex, tum copia apparatus physici: maiorum ornamentorum et accessionum spes facta laetissima. Portam etiam venit publice missus vir illustris et de scholis patriis constituendis, moderandis atque emendandis praeclare meritus, *D. Ioannes Schulze*, qui regi Borussorum

est a cura rerum scholasticarum regundarum interiore. Is vero, qua est harum rerum peritia et singulari studio, inde a d. 12—21. m. Aprilis instituta Portensis gymnasii tam diligenter examinavit ac spectavit, et cum magistris de rebus, quae florem scholae iuvare viderentur, tam saepe consultavit, ut de omni statu clarissimi ludi accurate ad supremum consilium, cui ipse ascriptus erat, referre posset.

Aliquot mensibus interiectis d. 14. m. Sept. cum omnium Portensium dolore obiit Numburgi, de quo paullo ante narravimus, *Ernest. Const. Herbst*, cuius de Portensi agro tanta exstiterunt merita, ut defuncti viri memoriam grata mente prosequerentur omnes, quibus necessitudo quaedam cum eo intercesserat. Imprimis de Porta meritus erat, quum anno millesimo octingentesimo sexto et sex septemque annis post, ubi et hostium, ut vidimus, et foederatorum exercitus ista loca transeuntes et infestis armis pugnas prope cientes atrocissima quaeque minitabantur. Nec minore cura aedibus scholasticis exaedificandis prospexerat.

Ilgenius noster ea, qua assueverat, industria et indefesso studio quaecumque muneris rationes postulabant, administrabat ac strenue de Portensi ludo mereri pergebat. Nondum aetatis ingravescentis sentire videbatur onus, sed bene quum corpore tum animo valere. Eo gravius duo collegarum, *Schmidtius*, Professor et Conrector, atque *Iohnius*, Inspector ecclesiasticus, alter adversa valetudine fractus, alter senio affectus laborabant et muneris officia im-

plere non poterant. Accessit alia eaque acerba iactura, quam Porta experta est, quum *Grossmannus*, multis nominibus Ilgenio dilectissimus, admodum honorificis conditionibus invitatus Altenburgum discessit, summi sacrorum antistitis dignitatem suscepturus. In eius locum successit *Henr. Eduard. Schmieder*, Portae olim et natus et educatus, Romae adhuc sacerdotis et oratoris sacri munere functus apud legatum Borussicum eiusque asseclas. Sed eidem non ita multo post, quam Iohnio muneris vacatio data esset, Inspectoris ecclesiastici munia delata sunt, et *Carol. Frid. Bresler*, Theologiae Licentiatus et in academia Berolinensi adhuc sacras disciplinas privatim docens, factus est Diaconus et Professor. Ex hac rerum mutatione, quae curae et quae molestiae Ilgenio ortae sint, facile est ad intelligendum.

Atque huius anni (1824) curas et sollicitudines non mediocriter levavit leniitque praesentia *Ioannis Schulzii*, qui admirabili studio per plures dies mensis Septembris (5—13) res scholasticas ordinabat et iuvabat eoque magistros multis nominibus sibi obstringebat [71]). Extremus huius anni mensis et collegis et scholae alumnis lugubris fuit. Obiit d. 7. m. Decembris M. *Ephr. Ioa. Gotth. Schmidt*, qui inde ab anno 1805 Conrectoris munia non sine laude sustinuerat. Longinquo morbo implicitus tandem malo succubuit eo, quem diximus, die cum summo suorum luctu anno aetatis sexagesimo secundo. Vacua provincia demandata est Langio, qui tertii professoris munere adhuc functus erat.

Annus, qui proximus sequebatur, millesimus octingentesimus vicesimus quintus non tulit res maioris momenti, quae in vita Ilgenii memorandae essent. Una tamen res non praetereunda est, quoniam animum ipsius mirifice affecit. Ornamenta enim, quae aedis Portensis altaria cingebant, vetustate sensim obsoleta et detrita erant. Qui locus sacer scite et eleganter instauratus et egregia, cuius ante facta est mentio, pictura exornatus est.

Ineunte anno 1826 novus habitus est Ilgenio honos neque immerito: die 18. m. Ianuarii, qui dies memoriae Clementissimi ac Iustissimi Regis Borussorum ad regium fastigium olim evecti sacer et sollemnis esse solet, decreta sunt Rectori Portensi dignissimo insignia equitis ordinis de aquila rubra. Quo honore et ipse gaudebat et gaudebant omnes, quibus Ilgenius notus erat. Qui quamvis gloriolae minime cupidus esset et vanis honoribus nihil tribueret, tamen non spernebat honores, qui virtute et meritis parti erant.

Alia res laeta eaque domestica eodem anno Ilgenii mentem magnopere exhilaravit. Filius enim Constantinus, egregiae spei adolescens, triennio in academia Lipsiensi bene exacto, in Berolinensem, doctorum in omni genere literarum artiumque excellentium laude florentissimam sese contulerat inchoata studia ibi perfecturus. Duce et auspice Boeckhio, ut ipse professus est, tantum in antiquitatis studiis profecerat, ut summos in philosophia honores petiturus doctum scribere posset libellum, quo diligenter et ele-

ganter quaeritur de tribubus Atticis eorumque partibus. Ubi d. 8. m. Iulii insigni cum laude eruditionem et disputandi facultatem ordini philosophico probavit, rite ad eum delati sunt, quos petiverat, honores. Quae res quo gaudio amantissimi patris animum expleverit, facile iudicabunt, qui vel ipsi tale quid experti sunt, vel secum reputant, superstitem fuisse Ilgenio hunc unum et animo et ingenio et studiis commendatum filium.

Neque insequens annus vacuus erat gaudiis, quae senescentem et annorum gravitatem subinde sentientem Ilgenium recreabant atque reficiebant. Ac primum quidem publica laetitia eum omnesque Portenses mirifice exhilaravit. Die 22. m. Maii Maria Luisa Alexandrina, regia virgo Vimariensis principis, Carolo, principi Borussico, desponsa, Berolinum petens quum Portam praeteriret, paullulum substitit et Ilgenii alloquium et discipulorum carmen gratulatorium aliaque pietatis et gaudii documenta tam benigne excepit, ut omnes, qui aderant amabili gratia et comitate eius suavissime caperentur.

Aliquot diebus post oblata est alia et maior laetandi opportunitas, quae admirabilem in modum Ilgenii animum affecit. Silentio enim non praetermittendus est dies illustris, qui fuit dies 31. m. Maii, quamquam discipulis et amicis Ilgenii magis exoptatus, quam ipsi viro modestissimo. Namque eo die ante viginti quinque annos auspicatus erat, ut supra narratum, gravissimum Portense munus. Cuius rei memoriam sollemniter, ut par erat, celebrare vole-

bant et collegae et in primis Ilgenianae disciplinae alumni. Iam apparari ornarique coepta erant, quae tali opportunitate oblata fieri solent, nec pauci eorum, qui priore aetate venerandi viri institutionibus usi fuerant, in societatem pietatis testandae venire cupiebant. At ubi res perlata est ad aures Ilgenii, dolet magis quam laetatur, talia sua causa comparari, quippe qui ab omni pompa et ostentatione esset alienissimus et ipsam speciem omnis ambitionis studiose vitaret. Obsecrat igitur obtestaturque collegas suos, ne quid sollemnium aut ipsi instituant, aut ab aliis institui patiantur, adeoque minitatur, nisi precibus suis obsecuti fuerint, se illo ipso die Porta esse discessurum. Quae hominis modestissimi pertinacia tandem eatenus expugnata est, quatenus voluntati collegarum hoc dedit, ut polliceretur, se d. 31. m. Maii fratri collegae coniunctissimi Iacobi munus Adiuncti — brevitatis causa ita dicere liceat — publica auctoritate rite esse demandaturum. Exteri autem, qui cum Portensibus huius diei gaudia et sollemnitatem communicare voluerant, Ilgenii talium rerum fuga et precibus deterriti, quae parare coeperant, magistri, ut assueverant, auctoritati parentes, omiserunt ac per literas tantum testari pietatem suam conati sunt.

Illo igitur, quem diximus, die instituuntur sollemnia scholastica non tam Ilgenii, ut videbatur, quam novi collegae gratia. Nihilo secius factus est is dies venerabili seni vere festus tamque laetus et gaudiorum plenus, ut vix caperet laetitiae magnitu-

dinem. Nam prius quam Ilgenius ad illa sollemnia peragenda in auditorium maius cum collegis descenderet, praeter omnem opinionem patris conclave ingressus est unicus propter multas animi ingeniique laudes carissimus filius Constantinus. Is venerat Berolino dici illustris felicitatem dilectissimo parenti gratulaturus. Quae fuerit tum Ilgenii laetitia, cogitari facilius quam oratione exprimi potest. Ea vero non mediocriter aucta est, quum audiret, delatum esse filio in gymnasio Ioachimico, quod Berolini floret, munus Inspectoris sive hypodidascali. Cumulo quasi auxit hanc festi diei laetitiam inopinatus adventus Godofredi Hermanni, qui monitus a Langio pro ea qua prosequebatur Ilgenium suum pietate, Lipsia advolarat. Non poterat Ilgenius talis discipuli aspectu oblato temperare lacrimis, quae largae per genas manabant. Vox autem prae gaudio ita occludebatur, ut amplexu suo tenens virum praestantissimum suoque animo carissimum aliquamdiu loqui non posset. Non facile umquam tanta tamque inopinata laetitia optimi viri animum perfudit; neque ipse diffitebatur, huncce diem esse vitae suae longe felicissimum pulcherrimumque [72]). Reliqua pars diei inter pocula, quamquam non rorantia illa, iucundissimis sermonibus amicorum et collegarum condita transigebatur.

Nec defuerunt priorum discipulorum epistolae gratulatoriae et plena candidae pietatis documenta. Langius, collega loco proximus, ut erat Ilgenii studiosissimus, dono dedit poculum ex nobiliore vitro factum, cui incisa erant insignia Portensia et verba

inscripta: *Porta Ilgenio suo.* Fuit hic dies sollemnis non solum animo Ilgenii salutaris, sed etiam corporis valetudini. Nam quum paullo ante quamdam sensisset infirmitatem et languorem, postea quasi reviviscere videbatur et muneris officia magna alacritate sustinere pergebat. At non diuturna erat haec valetudinis prosperitas. Namque insequente anno rediit iste corporis languor; oculi etiam magis magisque hebescere coeperunt. Neque id mirum videri debet, si cogitamus, quantopere inde a prima pueritia usque ad provectiorem aetatem intenderit, ne dicam, fatigarit aciem oculorum. Accessit illo tempore, ubi iam vacillabat visus, novum Ilgenii studium, quod intentam oculorum aciem exigebat, rei nummariae studium, quo mirabiliter delectabatur, et vel medico dehortante in eo colendo tam constanter perseverabat, ut saepe partem nocturni temporis, quod melius quieti dedisset, nummis cognoscendis contemplandisque impenderet. De nummis Lusitanis, quos collegerat multos, scripsit etiam diligentius; quae commentatio non indigna esse videtur, quae lucem videat. Aliquando captus tenebatur studio varia lignorum genera colligendi atque disponendi.

Quamvis seni meritissimo propter valetudinem pars negotiorum, quibus facile et prompte olim functus erat, adempta esset; tamen in dies magis sentiebat, se gravissimo muneri viginti septem annos strenue gesto non amplius parem esse. Quare suum esse ducebat, missionem petere et honestum otium ab illustrissimis viris, qui supremam rerum scholasti-

earum curam per terras Borussicas agunt. Maluit enim iuniori et bene valenti tradere munus, quam minus graviter et feliciter officio suo fungi. Expetiit sibi missionem extremo anno millesimo octingentesimo vicesimo nono: veniam provincia sua decedendi impetravit aliquot demum mensibus interiectis, quoniam qui succederet Ilgenio in munere gerendo, non statim posset reperiri.

Ultimus vitae Portensis annus languenti seni non modo propter corporis infirmitatem gravis fuit, sed animo ipsius etiam acerbus, quod expertus est, quae talem virum experiri non oportebat: sed piget pluribus haec narrare. Honestis tandem conditionibus data est egregio viro missio atque tam liberaliter tamque honorifice data est, ut facilius oblivisci posset, quae in statione Portensi parum grata et immerita ei acciderant. Plus tamen solatii praebebat conscientia muneris non minore fide quam laude administrati. Collatum est munificentia regis iustissimi in virum rude donatum annuum stipendium, unde honeste vivere cum uxore posset. Abeundi venia impetrata incertus initio ac dubius haerebat, quonam potissimum habitatum concederet. Aliquamdiu Leucopetra, oppidum vicinum, praecipue placebat, ubi domicilium collocaret, partim propter locorum amoenitatem et rerum ad vitam necessariarum facilem copiam, partim propter multos, quos illo in oppido habebat notos et amicos, partim etiam propter Numburgensium, Halensium et Lipsiensium amicorum viciniam. Vicit tandem paterna caritas, et Berolini,

ubi scholastico muneri praefectus erat filius ex septem natis unus superstes, subsistere maluit ibique extremam peragere vitae partem.

Prius autem quam discedi Porta posset, multi labores superandi erant multique ad profectionem necessarii apparatus faciendi. Imprimis magni erat laboris et sudoris, bibliothecam omni genere librorum instructissimam ita componere, ut incolumes et salvi pervenirent Berolinum. Magna praeterea copia omnis supellectilis per tot annos magno aere comparatae, quam fere cunctam eodem secum asportare volebat, ubi postea habitare decreverat.

Quibus laboribus ope filii Constantini exanclatis omnibusque rebus ad iter comparatis, tandem a. 1831 illuxit dies 9. m. Aprilis, quo die Ilgenius Porta ita discessit, ut numquam eo rediret[73]). Discessuro Langius suo et collegarum nomine obtulit tamquam propempticum munus libellum de vase Etrusco recens invento Latine scriptum[74]); discipuli autem Portenses tradiderunt praeceptori venerabili poculum argenteum affabre factum, cui inscripta erant nomina omnium discipulorum, qui tum Portensi disciplina utebantur. Quo animo Ilgenius ex eo ludo discesserit, cui per triginta fere annos summa cum fide summaque laude praefuerat, ubi tot gaudia et iucunditates, interdum etiam gravem luctum, nec leves acerbitates expertus erat; quis, quaeso, verbis ita exprimere posset, ut verba animi sensa aequarent?

Die 14. m. Aprilis comite uxore amantissimoque filio Ilgenius salvus et incolumis eo, quo tende-

bat, pervenit et habitationem commodam satisque aptam ante iam a filio conductam et supellectile instructam subiit. Ex itineris deinde molestiis ubi paullum respiravit, praeter cetera librorum copias disponere et ordinare coepit. Rebus autem domesticis compositis urbem ipsam et vicina urbi loca visere et accurate cognoscere studebat, idque tam curiose tamque diligenter et assidue faciebat, ut brevi regiones, plateas, fora, musea, regias aedes, alia cognitu spectatuque digna nosset, nec facile in urbe late patente vagaretur aut erraret. Quapropter studiose inspiciebat ichnographias et topographias, quas vocant, urbis Berolinensis, ut eo facilius certam cum ea notitiam contraheret. At non solum visebat urbem et res memorabiles, quas plurimas haec regia continet, verum eius incolas quoque, in primis viros ante sibi iam cognitos et amicos, in his Guilielmum Humboldtum, Neandrum, Marheineckium, Boeckhium, Hufelandum, alios. Cum Humboldto et Hufelando coniuncte iam vixerat Ienae; Neander porro illo tempore, ubi proxime Portam apud Flemmingenses sacra faciebat, saepe una cum Ilgenio fuerat. Hunc virum summe venerandum nec minus sacrae eloquentiae laude, quam rerum gerendarum prudentia excellentem animique probitate spectatissimum vehementer gaudebat regis gratia et sapientia ad eam dignitatem evectum esse, ubi de rebus ecclesiasticis bene merendi copia et potestas ei data esset maxima. Huius amicissimi sibi viri domum celebrabat atque ita semper discedebat, ut lubenter rediret, praesertim quum optima Neandri

coniux et tali marito dignissima uxor, Ilgenium, quem cognatione etiam attingebat, tamquam alterum parentem diligeret amantissimeque coleret. Neque affirmare dubito, Ilgenium apud hos amicissimos homines longe iucundissimos, quos Berolini vidit, dies transegisse, quod ipse grato agnoscebat animo et multis nominibus se illis obstrictum esse profitebatur.

Non est nostri instituti hic enarrare, quos alios viros convenerit quorumque consuetudine delectatus fuerit. Saepe salutatum veniebant, qui prius auditores et discipuli eius fuerant. Et horum pietas animo venerabilis senis gratissima erat, quamquam, si quis minus, quam par erat, magistri memor esset et, quantopere de se olim meruerit Ilgenius, oblitus esse videretur, in suorum officiorum conscientia conquiescebat et apud se plus officii meritique residere facillime patiebatur. — Lubenter et crebro etiam interesse solebat orationibus sacris, quas Marheineckius, vir de rerum sacrarum studiis praeclare meritus, festis diebus habere solebat. Has quidem ita factas comparatasque esse dictitabat, ut ingenia pariter atque animos audientium moverent atque alerent et pietatis sensu imbuerent.

Ubi Berolinum urbem eiusque thesauros resque memorabiles satis cognovit, domi id potissimum agebat, ut secerneret ex bibliotheca sua eos libros, quibus facile carere posset; reliquam partem diligenter ordinabat, ut prompta et parata esset ad futurum usum. Aliquid otii tribuebat lectioni librorum et ephemeridum, quae non magnam animi contentionem

desiderabat. Non exigua pars temporis vacui absumebatur praeterea salutationibus amicorum et hospitum, qui Ilgenium visuri veniebant. At nulla re magis delectabatur, quam filii amantissimi confabulationibus. Hunc optimum filium, suavissimam senectutis voluptatem, in oculis sinuque gestabat; hunc sibi ex numerosa prole relictum esse grato in Deum animo agnoscebat. Eximium et filio tanti patris dignum pietatis monumentum a. 1833 eo die obtulit Constantinus, quo venerandus parens septuagesimum annum compleverat. Hunece diem patri gratulaturus Latinum carmen fecerat et luculentis literarum formulis exscribi curaverat, quum festo die, tum disciplina Portensi haud indignum: nonnullis paullo doctius etiam visum est[75]). Huius rei laetissimae voluptatem mirifice auxerunt literae proximo die ante d. 26. m. Februarii publice missae, quibus Ilgenio filio professoris in gymnasio Ioachimico dignitas officiumque deferebatur. Non poterat maius ullum aut exoptatius contingere septuagenario seni munus natalicium; et facile est ad iudicandum, quo gaudio animus eius illo die fuerit perfusus. Neque talem postea vidit diem: proximus et ultimus dies natalis plane dissimilis erat novissimo. Non ita multo post diei natalis laetitiam aliud domesticum gaudium, nuptiae filii, animum patris exhilarabat. Contraxerat Constantinus, quum valetudinis confirmandae causa aquis marinis ad insulam Norderney uteretur, notitiam cum lectissima virgine, *Carolina Christiana Vigers*, cuius pater mercaturam apud Britannos fece-

rat. Quae puella honestissima, ingenii pariter atque animi laudibus florens, ita ceperat Ilgenii iuvenis animum, ut hanc prae ceteris sibi peteret uxorem. Ipsius desiderio respondit voluntas egregiae virginis et patris absentis venia. Ex itinere, quod superiore anno per Italiam ingressa erat, reversa d. 15. m. Iunii, matrimonio iuncta est cum eo, cuius votis ardentissimis iam pridem erat expetita.

Atque ita deveniendum est ad mentionem cladis miserrimae, qua maior acerbiorque non potuit accidere ei, cui vita actuosa semper visa est maxime exoptanda. Nam eodem anno, quo septuagesimum primum ingressus est annum, exeunte m. Augusto, subito acies oculorum ita deficere coepit tandemque ita exstingui, ut medici malo — *γλαύκωμα* Graece vocatur — sectione medendum esse censerent. Remedium erat sane grave et discriminis plenum; sed Ilgenius summo luminis recuperandi desiderio flagrans non repugnat fortique animo d. 19. m. Septembris curationem, quae scalpello facienda erat, subit. Adhibuerat consilio amicorum sanandis oculis virum huius artis peritissimum, professorem Berolinensis academiae clarissimum, Iüngkenium. Res optime procedere videbatur et eum, qui maxime exoptabatur, habere eventum. Brevi convaluerant vulnera et lumina oculorum restituta Ilgenio putabantur, qui ex caeco factus esset videns. Verum haec laetissima spes paullo post ad irritum cecidit, et oculi, qui salvi esse videbantur, repente ita hebetati sunt tamque spissa caligine sensim suffusi, ut de visu red-

dendo desperaretur. Tristes redierant maerenti seni tenebrae, nec ulla spes salutis ostendebatur. Quapropter non magnopere mirandum est, quod tali calamitate afflictus vitam interdum non vitalem vixque tolerandam sibi esse iudicaret. At dolori mox successit ratio animique aequitas: patienter ferebat ac tolerabat miseriam per totum annum, quo non fuerat infelicior ullus superiorum. Temporis moram ne graviter sentiret, prohibebant amicorum et discipulorum frequentes salutationes et lectiones eiusmodi librorum, qui miserando seni cognitu erant iucundi. Hic vero clarissime cognitum est, quantum valeat vera pietas et cognatorum amor. Optima uxor, qua erat cura et studio, omnibus modis fovere studebat blandisque officiis maritum oculorum lumine orbatum exhilarare. Neque filii amantissimi, quantum per muneris officia licebat, desiderabatur pia assiduitas patrisque animum audiendi discendique cupidum oblectare conabatur.

Ex iis autem amicis, qui caeco Ilgenio studium atque tempus prolixe dicabant, in primis laudandus est *Fridericus Guil. Thiedeke*, qui praelegendi, scribendi comitandique opera constantissima et summo, quo Ilgenium venerabatur, studio, optime de miserando sene merebatur. Nec minor laus debetur *Gustavo Tömlichio*, theologiae candidato, qui domestici praeceptoris partes sustinet in domo affinis sui, Neandri episcopi, et cum ipso Ilgenio propinquitatis vinculis coniunctus. Qui quidem vir honestissimus et Ilgenianae domus cultor constantissimus, quicquid temporis ex occupationibus eripere poterat, prompte

ac lubenter tribuebat seni, quem tamquam alterum parentem diligebat ac venerabatur. Neque defuit praeceptori humanissimi doctissimique *Keilii*, olim Portensis alumni, pietas. Hic enim cum Ilgenio ex rebus literariis communicare solebat, quae magistro nova et incognita erant. Nam facile est ad iudicandum, qua discendi siti fuerit is, cui inde a pueritia nihil prius, nihil antiquius et magis expetendum videbatur, quam acerrima industria in ea studia incumbere, quibus mens humana et optime conformatur et mirifice alitur, suavissimaque perfunditur voluptate.

Accessit ad hanc tristissimam oculorum cladem nova eaque non levis cura, quae animum Ilgenii inter spem metumque misere suspensum tenebat. Filius enim, cuius valetudo iam superioribus annis paullum labefactata erat, usu deinde aquarum marinarum ad insulas Norderney et Wangeroge confirmata videbatur, a. 1834 eum in modum affecta est, ut medici aquas Bohemicas languenti viro magnopere commendarent. Proficiscendi et corporis reficiendi venia in aliquot menses publice data, Berolino abiit cum fidissima maritique amantissima uxore, nihil suspicans, qualem patrem paucis mensibus interiectis inventurus esset. Magna vero et sollicita cura unicum natum dimittit pater, quum non ignoraret, quae esset illius infirmitas, quae valetudo. Itaque animo valde commoto ultimum vale dicit profecturo et optima quaeque apprecatur.

Vita Ilgenii nostri misera sane ac deploranda dici haberique poterat, praesertim si spectamus prio-

rem eius vitam doctis studiis et honestissimis negotiis naviter administrandis ita assuetam, ut nihil peius, nihil atrocius cogitari posset, quam eiusmodi status, ubi nihil agere licebat et clausis oculis dies noctesque residere coactus erat. Quae reliqua igitur vita trahebatur, aegritudinis maestitiaeque plena erat, nisi ei assiderent amici, qui vel confabulando, vel legendo tempus iucundum reddere et tristitiam ex eius animo depellere studebant. Menti constabat et ingenii acies et memoriae fides, ac profecto mirum videri debet, quod mentis vires integras prope usque ad eum diem retineret, quo apoplexia quassatus est. Observationes, ut hoc utar, acutas et subtiles meditabatur, quas egregio et carissimo discipulo suo, *Rudolpho Stürenburgio*, ad Ciceronis orationem pro Archia poëta mitteret. Fuit hic iuvenis ingeniosissimus et doctissimus unus ex novissimis disciplinae Ilgenianae alumnis et iam academicis annis edita Tulliana illa oratione praeclarum eruditionis specimen proposuerat, ut non tam sperare quam confidere talium rerum existimatores possent, optime eum aliquando de humanitatis studiis meriturum esse, nec mediocrem nominis famam esse consecuturum. Huius auditoris sui et pietate et doctrina mirifice gaudebat Ilgenius. Cui gaudio magnus accessit cumulus, quum eo ipso anno, qui fuit extremus vitae Ilgenii, Stürenburgius misisset ad venerandum praeceptorem novam editionem librorum, quibus de officiis praecipitur a Cicerone [76]). Ipse quidem non suis oculis legere poterat, quae pio animo scripserat auctor, sed aliena

ope usus cognovit eorumque auditione ita laetatus est, ut lacrimas tenere non posset. Neque maius postea gaudium optimo viro contigit. Primo autem mense Septembri Stürenburgius Wismaria Lipsiam rediturus Berolinum adiit Ilgeniumque suum convenit. Quae congressio quam grata utrique fuerit, non est quod pluribus dicam. At quam dissimilem invenit venerabilem senem idem Stürenburgius, quum aliquot diebus post novum munus in gymnasio Wismariensi susceptūrus, iterum pervenisset Berolinum [77]. Nam die 15. m. Septembris praeter opinionem denuo tentatus est apoplexia, quae anno iam millesimo octingentesimo tricesimo primo mense Decembri leniter eum tentarat. Peritissimi confestim adhibentur medici malo propulsando; omni fovetur cura ab uxore et amicis, verum nulla neque arte, neque studio et opera cognatorum averti potuit, quod medici averti posse negabant; in his etiam peritissimus Hufelandus, eximium artis salutaris decus. Luctum amantissimae coniugis augebat absentia filii, qui post usum salubrium aquarum Vindobonam aliasque urbes petierat. Ex pluribus epistolis a sollicita matre dimissis, quibus de discrimine admoneretur, in quo versaretur pater, una pervenerat in manus filii, Numburgi tum subsistentis. Re luctuosa audita contendit summa celeritate usus Berolinum et patrem vivum quidem reperit, sed animam agentem, et in quodam stupore ac sine motu paene sensuque, ut videbatur, iacentem. Constantinus tamen sensisse sibi videbatur, osculo patris labris lato et dextrae datae responsum

esse. Cura summoque luctu agitatus filius ubi ad patris lectulum advolavit, visus est ille agnovisse natum, quamquam certa sensus indicia non apparebant. Per totam insequentem noctem in eodem stupore iacebat Ilgenius. Tandem d. 17. m. Septembris hora matutina decima, novo apoplexiae impetu accedente subito placideque in amplexu suorum exspiravit.

Obitum Ilgenii non tantum uxor, filius et cognati, sed in primis etiam quicumque olim eius disciplina et institutione usi erant, lugebant atque ita lugebant, ut facile intelligeretur, qualis et quantus fuerit scholae Portensis Rector. Omnibus profecto, qui de laudibus eius iudicare possunt, flebilis occidit, nullis flebilior quam discipulis, quorum agmen ducebat Godofredus Hermannus[78]). Qui quidem candida et vere amabili pietate erga praeceptorem suum ductus per ephemerides Lipsienses desideratissimi viri obitum indicabat. Neque ullus, opinor, ex magna cohorte discipulorum Ilgenii inventus est, quin nuntium de excessu venerandi magistri allatum dolenter acceperit et grata mente merita virtutesque ipsius secum revolverit.

Anno insequente quum invitatu clarissimorum virorum, olim Portensis scholae alumnorum, Nobbii, Schillingii et Kindii, d. 11. m. Novembris Lipsiae convenissent non pauci, qui eiusdem scholae disciplina usi fuerant, ad memoriam iucundissimae Portensis vitae recolendam: concelebratum est illa in urbe convivium suavissima recordatione vitae ante-

actae et mira hilaritate ac singulari pietate conditum. Ibi Ilgenii quoque memoria et immortales laudes celebrabantur atque ita celebrabantur, ut facile appareret, quibus studiis talem praeceptorem discipuli prosequcrentur [79]). Nec Portenses magistri et alumni summi viri obitum silentio praetermiserunt: sollemni ritu memoriam eius colebant d. 21. m. Septembris eiusdem anni, quo diem obierat supremum.

Exsequiae defuncti senis omni rerum verborumque honore celebratae sunt d. 20. m. Septembris, ut decebat talis viri memoriam. Frequentes funus prosecuti sunt noti et amici, in his quoque non pauci discipulorum Ilgenii, qui Berolini habitabant. Priusquam elatum est corpus mortuum, vir summe venerandus Ilgenioque amicissimus, D. Marheinecke, de laudibus eius, quem exstinctum lugebant plurimi, brevem quidem, sed aptam gravemque habuit orationem [80]). Deinde quum funus eo deductum esset, ubi corpori sepeliendo excitatum erat sepulcrum, Vaterus, unus ex Ilgenii cognatis, sacra apud Berolinenses faciens, oratione funebri laudabat eum, quem vivum mortuumque venerabatur. Compositum autem est Ilgenii corpus eodem loco, ubi sepulta iacent Fichtii et Hegelii corpora, proxime Hegelianum sepulcrum, nec procul Fichtiano, id quod ipse exoptarat eo die, quo fiebant exsequiae Hegelii, quem inde a Ienensi tempore et noverat et dilexerat. Est vero ille locus, mortuis condendis sacratus, coemeterium urbicum, a Dorothea nomen ducens. Hoc quidem eorum gratia commemorandum putavi, qui, si Bero-

linum pervenerint et Ilgenii tumulum visere cupiant, hac scriptione edocti sciant, ubinam compositum iaceat, quicquid ex terrena materia factum interire atque exstingui potuit. Neque aliud posthac deerit monumentum uxoris et filii pietate exstruendum, quo monstretur locus, ubi corpus Ilgenianum repostum est.

At quicquid ex Ilgenio — Tacitinis verbis utar — *amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Ilgenius posteritati narratus et traditus superstes erit.*

Vidimus adhuc Ilgenium inde a prima pueritia, quo studio et successu in optimas literas incubuerit, et quam bene postera aetate de iuventute ad humanitatem informanda meruerit, et qui tandem fuerit optimi viri exitus. Sequitur, ut paucis doceatur, quem locum et gradum tenuerit in civitate literaria, ne quis imperitorum existimet, fuisse Ilgenium ex genere doctorum umbraticorum.

Si paullo accuratius inquirimus in studia, quae puerili, quae iuvenili aetate coluerit, si admirabilem industriam et singularem constantiam spectamus, qua illa persecutus sit, proxime ad veritatem accedere videmur, si excellentissimi viri animum ad altiora semper aspirasse et supra vulgus sapere voluisse statuamus. Iam prima narratione de vita Ilgenii relatum est, qualis fuerit, quum in scholae Numburgensis umbra delitescens doctis studiis operam navaret. Longe post se reliquit prope cunctos con-

discipulos, paucos habuit similis laudis aemulos. Deinde quum ad graviores disciplinas inter academiae Lipsiensis cives versaretur, non minore laude plerisque commilitonibus praecurrit tantumque in omni genere liberalium studiorum profecit, ut magis ad academicam cathedram ornandam, quam ad minoris scholae munus capessendum aptus factusque esse videretur. Sed dictum est de hac re, quum illam partem Ilgenianae vitae attigimus.

Famam ingenii doctrinaeque collectam ita auxerat posthac in statione Numburgensi, ut quadriennio interiecto dignus atque idoneus iudicaretur, qui Eichhornio, viro clarissimo, in professione literarum orientalium succederet in Ienensi academia. Hic autem quanta cura et opera existimationi suae consulere studuerit, ex iis coniicere licet, quae scripsi de vita Ienensi. Iam quum tot ac tanta elegantis et exquisitae eruditionis documenta edidisset, ut summis probaretur viris et inter Ienensis academiae ornamenta iure numeraretur: quis tandem reperiatur, quin Ilgenium insigni doctrinae laude floruisse dicat?

Ac primum quidem, quam Latine doctus esset, iam libellis ostenderat, quos Lipsiae et Numburgi in lucem emiserat, clarius etiam ostendit aliis scriptis, quae postea edebat. Oratio erat perspicua, tersa, casta et elegans [81]); neque rerum desiderabatur gravitas aptaque expositio. Ad veterum exempla haud infeliciter sese composuerat, ac postera aetate disciplinae suae alumnis eamdem imitationem commendabat, non servilem istam, quae verba magis et lo-

quendi formulas temere sectaretur, sed liberalem illam, quae cum nativa dictionis elegantia sententiarum veritatem et praestantiam totumque habitum et colorem Romanum multo studio et plurimo usu exprimere conaretur. Et quum sermonis perspicuitas atque facilitas mirifice adiuvetur crebris loquendi exercitationibus, facile est ad intelligendum, quantum valuerit etiam hoc in genere, quum inde ab academicis annis usque ad extrema tempora muneris scholastici prope quotidie Latine loqui consuevisset. Leniter profluebat oratio; non quaesita erat et artificiosa, sed simplex et plana, ut vel mediocriter docti auditores dicentem intelligere possent, iucunda tamen et concinna. Totum autem docendi genus, quamquam suavitate quadam commendatum et leporibus nonnumquam conditum, tamen non fucatum erat aut ad ostentationem factum aut ineptis lenociniis exornatum.

Quae Latine scripsit Ilgenius, pertinent ad grammaticam et imprimis ad criticam rationem, in qua ingenii magis vim et sagacitatem ostendere posset quam eloquentiam. Nihilominus illius quoque generis libri magnam habent commentationem ab orationis Latinae integritate et proprietate. Curae limaeque ubique apparent vestigia, ut possis fortasse aliquid facilitatis desiderare, id quod Hemsterhusio quoque accidisse Ruhnkenius narrat [82]). In omni arte grammatica — Romano more loquar — tantum valebat, ut optimum quemque nostrae memoriae Grammaticum aequaret, plerosque etiam superaret. Non enim

acquiescebat in vulgari et mediocri linguae Latinae scientia. Origines eius indagabat; veram rationem et naturam verborum investigabat; de usu singularum vocum, imprimis particularum, diligentissime quaerebat. Erat Ilgenius, ut breviter dicam, Latini sermonis in paucis peritus eamque peritiam et scribendo et interpretandis Latii scriptoribus egregie probabat. Cuius quidem rei illustre documentum esse potest libellus ille scholasticus supra commemoratus, quo disseruit non minore acumine et doctrina, quam orationis bonitate de Virgiliano carmine, quod Copa inscribitur. Omnes, credo, quibus olim Ilgenius obtigit magister Portensis, uno ore fatebuntur, Latine ipsum fuisse valde doctum.

Paucis etiam hoc loco dicendum est de poëtica facultate, qua satis valuisse eumdem nemo, qui eum noverit, negare ausit. Licet enim, quod sciam, Latina carmina Portae non scripserit, tamen ipse mihi narravit, se scholae episcopalis Numburgensis alumnum in hoc genere exercitationum Latini sermonis naviter elaborasse. Neque diffitebatur, se poëtica laude Portensium maxime accensum versus Latinos scribere coepisse: turpe enim sibi visum esse vel uno in genere doctorum studiorum vinci a vicini Gymnasii discipulis. Bene res processit, nec caruerant successu praeclari adolescentuli conatus [83]). Ad Portenses postea delatus, bis quotannis, ut narravimus, materias poëticas proponebat, in quibus facile non mediocrem facultatem poëticam agnoscas. Praeterea carmina Latina, quae sollemni aliqua op-

portunitate oblata ab alumnis Portensibus scribebantur, ita ab Ilgenio emendabantur et expoliebantur, ut intelligenti cuique manifestum esset, quantum in eo genere praestare posset, si quod ipse poëma facere vellet. Quantum studii autem operaeque contriverit in rei metricae cognitione eo loco commemoravi, ubi de vita academica viri egregii exponebatur. Huius rei accuratam scientiam satis etiam probavit in scriptis suis critici argumenti, et auditores Portenses saepe eam admirati sunt in scholis, quibus Horatiana carmina enarrabat.

Praeclara sane haberi potest haec laus Ilgenii exquisita Latinarum literarum scientia parta, nec defuit altera, quam sibi maturius etiam peperit diligenti Graecorum studiorum cognitione. Quid? quod in eam deduci possit aliquis opinionem, fuisse eum Graecae antiquitatis studiosiorem quam Romanae. Nam quae typis describi curaverat primum Lipsiae, deinde Numburgensis scholae urbicae Rector ac postremo Ienensis academiae professor, cuncta fere ad Graecam antiquitatem spectabant. At recte iudicabat vir sapientissimus, non posse aliquem idoneum eruditae antiquitatis esse existimatorem, nec merito venire in societatem hominum vere doctorum, nisi Latinam pariter ac Graecam linguam ita cognitam haberet, ut praestantissimos utriusque gentis scriptores facile legere accurateque interpretari sciret. Quare Hemsterhusii, Ruhnkenii Ernestiique exempla secutus parem prope operam Graecis Latinisque literis discendis navabat.

Atque hanc facultatem qui consequi cupiunt, habent profecto, quod vires nervosque intendant atque omne tempus prudenter collocent et dispensent. Haec enim dispensatio nisi tamquam longioris temporis vicaria accesserit, fieri non potest, ut perveniatur ad insignem eruditionis laudem. In Ilgenio autem iam inde a prima aetate tanta cernebatur industria, tantus discendi ardor et earum voluptatum atque deliciarum, quae iuveniles animos a rebus seriis avocant, tanta contemptio et despicientia, quanta his temporibus rarissime invenitur in studiosa iuventute.

Iam ex iis, quae de priore vita Ilgenii narravimus, satis, opinor, intelligetur, quam intelligens fuerit et Graecarum et Latinarum literarum et quo iure in censum eorum referri possit, qui hisce studiis in re publica literata nobilitati sunt. At non satis habebat, percepisse Latinum Graecumque sermonem, non minore etiam studio Hebraicam linguam et cognatas dialectos didicerat, id quod prius iam in vita viri immortalis attigimus. Tam acriter tamque feliciter in his studiis versabatur, ut peritis harum rerum iudicibus eximie commendaretur et Eichhornio Gottingam traducto vacua orientalium literarum cathedra in Ienensi academia ad Ilgenium deferretur. Neque postea earum studium negligebat et quam diu prospera erat valetudine, non minore cum laude quam fructu Hebraicas scholas, ut vidimus, Portae habebat. Nec sumptibus parcebat in iis libris comparandis, qui ad illam partem doctrinae iuvandam augendamque faciebant. Cuius rei testis erat index

librorum Ilgenii, qui superiore anno Berolini per auctionem divendebantur.

Denique novitias quoque linguas, ut Gallicam, Anglicam, Italam, attigerat, ita tamen, ut libros cultissimarum gentium legere et intelligere, non ut scribere accurate facileve loqui posset. Harum quidem cognitionem sibi comparavit eo tempore, ubi vidit, hominem eruditum non decere, in literis eorum populorum hospitem et peregrinum esse, qui cultu et humanitate praecellerent. Scholastica tamen spatia decurrens neque publice copia facta erat istas linguas addiscendi, neque per rei familiaris tenuitatem Ilgenio licebat, privati magistri institutione compensare publicae scholae inopiam. Suo tamen Marte iam Numburgi quamdam cum illis linguis notitiam contraxit.

At habitabat Ilgenius non solum in doctae Graeciae Latiique literis, quibus Orientalium novitiarumque linguarum notitiam adiunxerat, sed familiaritatem quamdam etiam contraxerat cum gravioribus disciplinis, quae in academiis tradi discique solent, ut philosophia, theologia, historia literaria et patria, cuius erat et studiosissimus et peritissimus.

Ad philosophiae studium iam Lipsiae animum applicabat. Seidlitzii et Wielandii scholas non negligebat; sed multo diligentius audiebat Platnerum, qui quamquam erat professor artis medicae, maiorem tamen adeptus est nominis famam crebris institutionibus, quae ad omnem philosophiam spectabant. Fuit

autem vir eximio ingenio, magno acumine et sagacitate, eleganti doctrina et docendi genere tam iucundo ac discrto, ut permulti studiosorum ad eius scholas certatim confluerent. Quid igitur mirum; quod Ilgenius tali philosophiae doctore multum daret operae? Philosophandi vero amor, quem ab ipsa natura ingenitum habebat, tum maxime emersit auctusque mirifice est, quum Ienensem academiam ornarent plures philosophi, ut Fichtius, Schellingius, Hegelius, Paulus, Niethammerus, alii. Nulla tamen philosophandi ratio diutius tenuit Ilgenium, quam Kantiana. Tam studiose eam colebat, ut posset aliis huius disciplinae parum peritis viam ad eam patefacere et eos locos illustrare, qui vulgari captui minus patebant. Fichtianam etiam disciplinam aliquando paucis quibusdam studiosis e gente Hungarica Latino sermone tradebat atque ita explanabat, ut praecepta eius philosophiae commode perciperent auditores. Si per alia negotia vitaeque instituta atque muneris suscepti officia ei licuisset, hoc genus doctorum studiorum persequi, non dubium est, quin plurimum in eo profecisset, quippe qui naturam fautricem nactus ad philosophandum imprimis factus esse videretur. Cuius rei crebra auditoribus dedit documenta. Neque unam Kantianam temere sequebatur disciplinam, sed veterum quoque philosophorum decreta optime tenebat et omnes partes divinae huius scientiae cognitas habebat. Quantum haec prompta et accurata doctrina ei profuerit ad interpretationem librorum de philosophia scriptorum, non indiget demonstratione. Merito autem

et haec pars eruditionis numerari potest in laudibus, quibus Ilgenius florebat.

Accessit novum ornamentum, quo dum Ienensis academiae professor erat, non mediocriter commendabatur, ut studiosi magnopere eius scholas expeterent, dicimus theologiae sive sacrarum literarum scientiam. Et quis tandem miretur, quod in hac quoque parte doctrinarum non mediocrem sibi pepererit laudem, quum egregie ad eas instructus accederet tam Graecis Latinisque literis, quam philosophiae praeceptis probe imbutus? In his enim adiutricibus doctrinis unus et tutissimus est aditus ad omnem disciplinarum intelligentiam. Cum sacra enim philologia, quam vocant, arto vinculo iuncta copulataque est illa pars academicae institutionis, quae appellatur dogmatica. Iam quo peritior erat Ilgenius Graeci et Hebraici sermonis, et quo diligentius olim Mori scholis interfuerat, eo expeditior patefacta erat via ad istam partem sacrarum literarum, qua futuris theologis nulla est gravior atque utilior. Operam suam et facultatem quum eo in genere probasset senatui academico, summi Ilgenio dati sunt honores et Doctoris Theologiae dignitas meritis quaesita illa honorifice ad eum delata [84]). Non semel ex iis, qui scholas Ilgenii frequentaverant, audire memini, quum praedicarent singularem earum praestantiam.

Iam si quis cogitaverit, quam raro inveniantur in civitate literata, qui uno in genere optimarum literarum excellant, multo rarius etiam reperiantur, qui in pluribus aliquantum profecerint; admirabilis

sane videri debet Ilgenius noster, qui non primoribus, ut aiunt, labris gustasset tam varias disciplinas, sed accuratam earum scientiam sibi comparasset. Discant ex hoc exemplo, qui similis laudis amore ducuntur, quantum valeat ingenium, industria, constantia studii ac prudens temporis dispensatio!

Ad hanc rerum copiam et varietatem adiunxit postera aetate etiam rei nummariae cognitionem, qua extremis vitae Portensis annis mirifice delectabatur, neque mediocrem — nam omnem mediocritatem odio habebat — cum ea doctrina notitiam contraxerat. Quae quam iucunda non modo sit, verum etiam utilis ad historiam rectius intelligendam, non est quod uberius doceatur. Praestantissimos coëmerat libros, in quibus de re nummaria disputatur; ipsa numismata satis magno aere conquirebat, et numerus eorum, quae collegerat, haud exiguus erat. Studium rei nummariae inde ab anno 1816 usque ad extrema fere tempora Portensia colebat idque tanto amore, ut saepe in multam noctem nummos recens allatos spectaret, disponeret, exornaret. Neque dubitandum, quin hoc acerrimo studio oculorum aciem hebetarit, quod nocturnis etiam horis et oculis iam labentibus ab eo se avocari non passus est.

Veniendum est ad eam partem studiorum, quae Ilgenio in deliciis erant, ad patriae, maxime Thuringiae, historiae cognitionem. Eius amore imprimis capi coepit, ex quo scholae Portensis factus est Rector. Et ut patriae omnino erat amantissimus, ita antiquiorem eius historiam lubentissime investiga-

bat, praecipue monasteriorum et veterum castellorum, quae per Thuringiae pagos olim exstructa fuerant. Initium fecerat, quantum sciam, ab historia monasterii Portensis, cuius nescio an peritior umquam fuerit ullus. Summa cura, indefesso studio et labore indagarat literarum monumenta, quaecumque exstabant, sed plerisque ita latebant, ut paene in oblivione iacerent. Haec venabatur sibique comparare studebat. Et quum ad ea cognoscenda afferret miram criticam facultatem rerumque peritiam, felicissime in antiquitatibus Thuringiae scrutandis et illustrandis versatus est. Valde autem dolendum, quod plurimarum, etiam minimarum rerum, quae ad illam partem studiorum pertinebant, notitiam memoria magis custodiret, quae summa in Ilgenio erat, quam chartis mandaret. Multa igitur, quae solus tenebat, cum viro peritissimo una occiderunt. Nam opinione pauciora monumenta, quae aliunde collegerat, in scriniis Ilgenianis latebant.

Talis igitur ac tantus quum esset antiquitatis Thuringicae amator et cultor, non mirandum, quod harum rerum valde laudabili studio per loca Portae vicina efflorescente, Ilgenius unus exsisteret auctorum et conditorum eius societatis, cui propositum est, historiam omnemque antiquitatem veteris Saxoniae et Thuringiae investigare scriptisque illustrare. Sed quum supra iam hoc institutum virorum patriae studiosorum commemoratum sit, longiore mentione facile hic possumus supersedere.

Denique silentio non praetermittendum videtur

aliud studium, ad quod Ilgenius iam puerili aetate a patre excitabatur et cuius ope postea quam traditus est in disciplinam scholae Numburgensis partem victus necessarii quaerebat. Canendi enim artis, ut supra vidimus, ita peritus erat, ut choro symphoniaco praeesse posset, qui per plateas oppidi carmina notis musicis excepta cantitabat. Posteris deinde annis quum totum se dedisset liberalibus studiis, etsi non licebat musica studiose tractare, tamen non prorsus ea neglexisse videtur, saltem usque ad extremam aetatem et amorem et sensum acrem eius artis in Ilgenio fuisse saepe animadverti. Recte enim Horatius:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem,
Testa diu.

Nihil magis aures eius offendebat, quam si discipulos in auditorio maiore, quod erat plano pede subter ipso Ilgenii conclavi, in modis canticorum sacrorum vacillantes errantesque audiret. Eodem autem tempore, quae cantabantur in loco inferiore, solus secum submissa voce prosequi assuerat. Lubenter etiam audiebat artifices musicos et alia eiusmodi acroamata.

De Ilgenii studiis, eruditione et in rem literariam et scholasticam meritis poteram fusius diligentiusque exponere; verum ne laudatoris potius quam narratoris partes agere videar et otii praeterea angustiis exclusus, modum non copiam quum quaerere coactus sim, progrediar ad eam partem libelli nostri, quo dicendum est de ingenio, animo, moribus et

vita domestica viri desideratissimi. Quae pars narrationis ut multis lectorum cognitu erit iucundior, ita ad scribendum est longe difficilior. Res enim per se ardua habet multas dubitationes, praesertim si quis statuat, me, disciplinae Ilgenianae alumnum, plusculum tribuisse pietati quam veritati. At non vereor, ne mea erga optimum virum pietas ad meram laudationem me delabi sinat, quippe qui bene sciam, nemini magis quam Ilgenio ipsi omne adulandi genus odio fuisse. Utinam mihi contingeret, ita depingere et quasi sub oculos lectorum subiicere mores animumque huius viri, ut eos experti sunt, qui vivum illum viderunt atque cognoverunt.

Quale fuerit eius ingenium, hoc est, quasnam ab ipsa natura insitas habuerit mentis vires, bona et virtutes, facile, credo, concludi potest ex iis, quae narravi de factis meritisque viri eximii. Praeditus erat excellenti quidem ingenio, sed non tanto, ut sine ullo negotio et quasi ludibundus arripere cuncta posset, quae vellet. Nam quanta cura et industria, quanta etiam virium contentione ac perseverantia per omnes partes vitae elaboraverit, ut perveniret ad praeclaram, qua instructum ornatumque eum vidimus, doctrinam; nemo ignorabit, qui Ilgenium non modo vidit et audivit, sed qui multo etiam usu cum eo coniunctus fuit. Verum nisi ad studii constantiam accessisset ingenii quaedam celeritas in arripiendo et firmitas in retinendo, non consecutus esset tantam rerum copiam, quantam vir doctissimus mente complectebatur. Magno praeterea adiumento erat

discenti memoria fidelis atque tenax, ut non facile effluerent, quaé semel perceperat. Saepe hanc facultatem in Ilgenio admiratus sum, qui vel provectiore aetate firmissime teneret, quae puerilibus aut iuvenilibus annis didicisset. Non facile cognovi alium hominem, qui plus valuerit memoria et diversissimas res tutius mente custodierit.

Ad has ingenii dotes accessit admirabile iudicii acumen, quod facillime discerneret vera a falsis omnemque fraudem et fucum celeriter deprehenderet. Recti, pulchri decorique intelligentissimus erat existimator et artis etiam operum elegantissimus spectator. Illo igitur acumine, quod naturae beneficio nactus erat, et mirifica, qua valebat, sagacitate factum est, ut in iudicandis veterum scriptis, quae sana et integra, quae vitiata et corrupta essent, facile videret ac si res postularet, felicem et facilem plerumque reperiret medicinam. Nec raro locis obscuris ac prope conclamatis lucem afferebat.

In critica exercenda duplicem inire solebat rationem. Saepe enim, ubi nova et meliore interpretatione succurri posset sententiae, retinere ac tueri vulgatam scripturam studebat, idque saepe contra praeposteras et parum necessarias Bentleii, Davisii, Ernestii, aliorum Criticorum coniecturas eum facientem audivi. Nec sine idonea causa hanc viam ingrediebatur vir sapientissimus. Bene sciebat et ipse non raro expertus erat, quam proclives essent ingeniosi adolescentes ad corrigendum et veluti ad secandum atque urendum, ubi ulcera latere ipsis visa

fuerint. Quoties hoc summis viris acciderit, non est quod dicatur doctis huius narrationis lectoribus. Res nisi ita se haberet, libri veterum scriptorum inde a renatis fere Graecis Latinisque literis non onerati essent tot ineptis minimeque commodis coniecturis. Ac vehementer, puto, boni illi scriptores, si ab inferis reduces opera sua tam misere habita reperirent, et mirarentur, et indignarentur. Mature igitur iuvenes antiquitatis studiosi, praesertim qui supra mediocritatem sapere cupiunt, monendi sunt, ne cupidius in artem criticam involent et confestim corrigant, quae primo obtutu non satis quadrare videantur. Non raro enim vel singula vocabula, vel integri loci pro suppositiciis atque interpolationibus habebantur, in quibus prudentes et cauti critici nihil fraudis invenire poterant.

Attamen Ilgenius nec alteram critices rationem aut damnabat, aut negligebat, emendatricem illam, quae locis aperte corruptis partim bonorum librorum praesidio, partim divinatoria arte medelam adhibere studet. Etenim non sentiebat cum Grammaticis, qui morosa quadam superstitione capti et occaecati plane nihil in antiquitatis monumentis suo loco movere auderent et absurda quaeque praestantissimis scriptoribus obtrudere quam ad emendationes confugere mallent. Qui viri religiosissimi non cogitabant, quantum detrimenti accepissent veteres libri modo temporum iniuria, modo incuria et inscitia librariorum, modo audacia Grammaticorum. Iam si perventum erat ad locum, qui suspectus esse videbatur, neque

interpretando expediri poterat, solebat Ilgenius primum suas, vel aliorum interpretum proferre dubitationes. Deinde quid ab aliis tentatum esset, commemorabat, et si res parum feliciter iis processisse videretur, suas ipsius coniecturas et suspiciones depromebat earumque rationem docebat. Quae licet non semper essent palmariae, tamen numquam insulsae, neque acuminis laude carebant. Optandum sane esset, ut, quicquid bonae frugis in commentariis, quos diligenter domi scribere ad scholas Horatianas solebat, reconditum latet, ab idoneo quodam viro in lucem ederetur. Nam multa insunt, certo scio, quae Venusinis carminibus tam emendandis, quam rectius explanandis magnam allatura essent utilitatem. Quantum profuerit hac interpretandi ratione, diximus supra, quum ostendere conaremur, quaenam fuerint venerandi praeceptoris de schola Portensi merita.

His vero ingenii facultatibus, quas breviter attigimus magis quam descripsimus, accessit beata quaedam cogitationis copia et ubertas, quae elucebat in eius sermonibus atque scriptis. Abhorrebat autem ab inani pompa verborum et ampullis et ab omni speciosae scientiae ostentatione. Nihil nisi cogitate et loquebatur et scribebat. Unde factum, ut non mediocriter iis irasceretur, qui inconsiderate et quicquid in buccam veniret, effutirent. Gravius etiam, quo erat omnis levitatis odio, invehebatur in eos scriptores, qui libros futiles temere emitterent. Eiusmodi hominibus aut manus praecidendas esse dictitabat, aut labores imponendos, quibus plus prodesse

possent rei publicae, quam misellis scriptis divulgandis. Nec poëtica facultate, imprimis assidua poëtarum lectione adiuta et exculta Ilgenium caruisse, ante iam dictum est, quamvis non pauci reperirentur, qui talem ingenii dotem ab ipso alienam esse censerent. Hi vero non penitus noverant ingeniosissimum virum, et coniecturam faciebant ex sermonibus, quos saepe de rebus quotidianis et ludicris habere solebat.

Sed veniendum est ab ingenii bonis ad animi virtutes, quibus haud scio an magis excelluerit Ilgenius. Ac primo quidem loco commemoranda est vera et candida erga Deum pietas, quae longe aberat ab eorum more, qui pii videri quam esse malunt, qui plus caerimoniis tribuunt quam mentis vitaeque integritati, et superstitiosa pertinacia ea amplectuntur, quae hominum aut apertis erroribus aut pia fraude invecta pro divinis legibus et effatis feruntur. Ipse persuasum habebat, Deum res humanas benigne ac sapienter curare; numine eiusdem praesenti regi et gubernari, quaecumque mortalibus accidant. Atque fretus hac divina providentia res malas, quas aliquoties expertus est, facilius et patientius ferebat. Inde etiam nata est quaedam animi aequitas et constantia, qua muniebatur adversus incertos et acerbos vitae humanae casus. Quantae autem curae Ilgenio fuerit, vera et integra illa pietate etiam discipulorum animos imbuere, apparebat maxime in orationibus, quas singulis annis bis habebat iis diebus, qui antecedebant eucharistiam celebrandam. Tum quidem ea gravitate, eo pietatis

sensu et temporibus et adolescentulorum moribus ita accommodate dicebat, ut non facile in tanto audientium numero inveniretur, quem parum movisset oratio ab optimo animo profecta [85]).

Sed quoniam virtus actuosa est omnisque laus humanae virtutis in actione maxime consistit: Ilgenius docere nos solebat, veram pietatem quaerendam esse in omni vitae honestate et recte factis; neminem nisi qui sapienter atque utiliter aetatem collocarit aliisque quam plurimum prodesse didicerit, summo numini placere et virtutis praemia consequi posse. Ita vero pium fuisse ipsum cultorem Dei, pro certo dicere nihil dubito, quamquam fuerunt, quibus religionem a patribus traditam neglexisse videretur, scilicet quod non temere in verba et dogmata quorumdam sacerdotum iurare assuerat, id quod eo loco significavimus, ubi de Rectoratu Portensi ad Ilgenium delato dicendum erat. Nec tamen ea contemnebat aut negligebat, quae publice instituta erant ad pietatis sensus excitandos et alendos. Quapropter diligenter intercrat sacris, quae discipulorum causa maxime fiebant.

Si cernitur iustitia in suo cuique tribuendo, et si in eadem, ut recte Cicero iudicat, maximus est virtutis splendor, ut non immerito omnium virtutum domina quasi et regina haberi possit: iure Ilgenius iustitiae laude ornandus videtur. Neminem prudens sciensque lacessebat aut violabat; nemini invidebat ullam fortunam laudemve meritis quaesitam; numquam cupide aut acerbe de aliorum virtutibus et

bonis detrahebat, nec quae vere laudabilia erant, elevare verbis studebat. Neque collegis tantum et amicis, non viris tantum loco et dignitate conspicuis iustum sese praebebat, sed discipulis etiam non minorem iustitiam praestabat. Paucissimos profecto cognovi magistros, qui eadem qua Ilgenius apud auditores suos iustitiae laude florerent. Quo factum est, ut nemo vel graviter ab eo acceptus ipsi diu irasceretur. Si quis initio aegre ferret castigantis severitatem, mox quum dolori successisset cogitatio, intellexit, iuste fecisse Ilgenium et communi utilitati servisse. Non raro quidem, quo erat acri recti honestique sensu, effervescere solebat et minacia effundere verba: tamen hic ardor excusandus erat, quippe qui excitaretur studio illo valde laudando bonae disciplinae tuendae ac stabiliendae. Recte enim statuebat vir gravis et sapiens, tum demum scholam stare et laeta capere posse incrementa, quum leges vigerent. Harum auctoritate labefactata, de eius flore actum esse. Malebat autem scholam desolatam quam dissolutam.

Iustitia Ilgenii porro cernebatur quum in laudando, tum in reprehendendo. Modice et caute laudabat: sed haec modica laus maiorem vim habebat in animis iuvenilibus, quam effusa, qua corrumpuntur facilius adolescentuli, quam ad magnos conatus accenduntur. Quo parcius nos laudabat, eo acriores laudatis admovebat stimulos. Praeclare memini, quanto gaudio nos perfuderit, si quid recte dixissemus aut

scripsissemus, venerabilis magistri exclamatio: Bene! Recte! Rem acu tetigisti! Nec minus pungebat et urebat mentes nostras, si qua obiurgatio ex ore eius exisset. Quamquam gravitate adiuncta severe, qui meruerant, castigare solebat, tamen cavebat, ne quid acerbitatis aut irrisionis haberet obiurgatio. Nam memini ex Ilgenio audire, quum narraret, quantopere animum suum pupugisset, quum a Lobeckio suo, nescio qua de causa, iusto mordacius, castigatus esset. Patienter quidem ac tacitum in consessu commilitonum tulisse contumeliam, sed scholis finitis adiisse magistrum et animo sumpto ingenue aperteque ab eo petiisse, ut in posterum eiusmodi acerbis facetiis abstineret. Si quid a se delictum esset, graviter potius et aperte in se invehatur neque molli brachio reprehendat; id lubenter se toleraturum esse. Magistrum non aegre tulisse vocis libertatem, animum etiam discipuli subirati blande mitigasse et prorsus posthac acerba irrisione abstinuisse. Ac talis iustitia effecit, ut homines leves, pigri et socordes Ilgenium timerent quidem et expavescerent; at numquam vidi, qui diuturnum in eum odium concepissent. Neque ipse Ilgenius, quamvis vehementer cuipiam irasceretur, si castigatus resipisceret et monitis promptius pareret, perpetuo succensebat, sed brevi mitigabatur, ubi animadvertebat, eum qui peccasset, poenitere facti sui. Atque haec summa viri optimi iustitia causa fuit, quod fere omnium discipulorum amorem et observantiam sibi pareret partamque retineret. Nam una doctrinae magnitudo tantam vim

non habuisset: ea admirationem, non pietatem in animis nostris movere potuisset.

Lubenter quidem Ilgenius et constanter suum cuique tribuebat, sed eamdem iustitiam ab aliis quoque postulabat, nec temere ea dimittebat et negligebat, quae iure sibi vindicare poterat et quae ipsius muneris, cui publice praefectus erat, rationes exigere videbantur. Sequebatur autem in regunda schola Homericum illud:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Plures enim si unam eamdemque rem administrare et gubernare certant, verendum sane est, ne multorum consiliis corrumpatur. Nam verum est, quod apud Terentium scriptum legimus:

Quot homines, tot sententiae;

sive quod Flaccus poëta testatur:

Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia.

Iam quum vir spectatissimus idoneis causis adductus in rebus scholasticis administrandis plus suae prudentiae tribuere videretur, quam aliorum voluntati et consiliis, et suam plerumque sententiam perferre conaretur: nonnullis paullo imperiosius agere et iusto pertinacius in suis institutis perseverare visus est. Quid igitur mirum, quod non raro in reprehensionem eorum incurreret, qui vel non probabant illud Homericum praeceptum, vel Ilgenii animum parum perspexerant, vel de eiusmodi rebus satis recte iudicare non poterant? Horum calumnias audiens saepe dolui et quantum poteram magistri

causam defendere studui. Certum enim mihi erat et exploratum, Ilgenium non tam id egisse, ut unus omnem haberet potestatem et ad suum arbitrium cuncta regeret et gubernaret, verum ut caveret, ne, si penes plures eadem esset potestas, res instituendae aut tardarentur, aut ad irritum redigerentur.

Neque ignoramus, exstitisse inter eos, quibuscum officiorum necessitudo Ilgenio intercedebat, qui nimis imperiose ab eo quaedam fieri et nimis pertinaciter, quae semel mente concepisset, defendi et quasi mordicus teneri, nonnumquam quererentur, et viro meritissimo non levem invidiam moverent. Facile tamen, qui rem paullo accuratius cognossent, quantula in eo culpa haereret, intelligebant et brevi cum eodem in gratiam redibant. Equidem non prorsus negaverim, fuisse Ilgenium propositi sui tenacem atque interdum sua in sententia ita perstitisse, ut ab ea avocari non posset: verum quis tandem, quaeso, cupiditatis nescio cuius aut temerariae pervicaciae eum accuset, quod minus facilem et mollem se praeberet iis, qui diversam sequerentur rationem? Numquam enim, pro certo dixerim, sine iustis causis tueri aliquid solebat et semper communi saluti consulere studebat. Suae auctoritati et potestati eatenus serviebat, quatenus ad scholae felicitatem firmandam atque augendam facere videretur.

Quis porro nesciat, Ilgenium non primum fuisse Rectorem Portensem, qui in voculas invidorum et malevolentium inciderit? Nominatim commemorare possem, si res postularet, viros ante Ilgenium eos-

que non sine laude res scholasticas moderantes, quibus idem accidisse constat. Verum ego non dubito affirmare, neminem eorum Ilgenio fuisse iustiorem, et nemini salutem scholae maiori fuisse curae. Dissensiones subinde ortas esse de rebus scholasticis, nihil est quod in tanta ingeniorum humanorum diversitate magnopere miremur. At fuit Ilgenius non tantus sui admirator aut tam pugnax, ut quamvis digladiandi opportunitatem arriperet. Compertum ego contra habeo, saepe eum patienter tulisse aliorum dissensum, nec rationes eorum parum considerate reiecisse. Tum demum aegre ferebat repugnantium opiniones, si disputandi studium in obloquendi libidinem abire videret, si verbis magis quam rationibus concertaretur. Neque hoc dissimulandum, eam fuisse in hoc candido viro aequitatem, ut suam mutaret sententiam, ubi veritatem a se non stare intellexisset. Plus enim veritati, quam sibi tribuebat.

Et quoniam veritatis iniecta est mentio, non possumus, quin breviter narremus, quam apertus, qui veritatis cultor omnisque fraudis et simulationis dissimulationisque inimicus fuerit Ilgenius. Ut omnibus bonis et erectioris animi viris nihil dulcius, nihil maius esse solet veritatis luce; ita Ilgenius eiusdem boni tam studiosus et diligens erat, ut nihil supra. Nullam vero rem tanto odio habebat quanto mendacia cunctasque simulandi dissimulandique artes, a quibus pro ea, qua erat animi probitate et simplicitate, longissime abhorrebat. Itaque vehementer commovebatur, si quem aperte mentiri sentiret, aut effugia et

latebras quaerere videret, ne verum fateri cogeretur. Nihil enim turpius et liberali homine magis indignum esse iudicabat, quam stare a mendacio contra veritatem et de industria comminisci fraudes. Neque eos ferre poterat, quicumque contentionis quam veritatis erant cupidiores. Tam inexpugnabile erat in Ilgenio veritatis studium, ut ingenue, quid animo sentiret, dicere consuesset. Quo veritatis studio ductus poterat sane interdum certis hominibus, qui simplicis veritatis non ita diligentes essent, non satis prudens cautusque videri: at malebat vir honestissimus cum prudentiae dispendio veritatem loqui, quam aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. Nihil igitur magis in discipulis suis amabat, quam veritatis studium; mendacium non facile impunitum omittebat.

Sed satis dixisse nobis videmur de iustitia et veritatis studio, quibus praeclaris virtutibus mirifice excellebat Ilgenius. Cum his porro coniungebat mansuetudinem quamdam et molliorem sensum, a quo plerisque longe abesse videbatur, qui animum ingeniumque eius non satis perspectum habebant. Facile quidem, si quid a discipulis per socordiam aut petulantiam peccatum esset, irascebatur et indignationem etiam effundebat, sed neque diuturna erat haec animi commotio, neque ira illa acerba, praesertim si quem facti sui poeniteret vitiumque aliquo modo emendare conaretur. Si quando gravius aliquem increpuisset, paullo post oblitus irascendi causae leniter eumdem

accipiebat, modo legibus promptius pareret ac bonae disciplinae studeret.

Singulari autem et vere paterno amore amplectebatur disciplinae suae alumnos, quicumque et modestiam, et probitatem animi et studiorum constantiam profectusque in optimis literis ipsi probassent. Quod mirabuntur fortasse, qui semel aut raro Ilgenium viderunt, aut parum recte de eo iudicantes audiverunt. Non facile cognovi alium magistrum, qui tantam animi mollitiem caritatemque erga suos ostenderit, quantam ille erga discipulos, qui scholae spatiis decursis abitum in academiam parabant eique valedicturi veniebant. Quod testabuntur omnes, qui a literis moribusque probati Porta discessuri Ilgenium adierunt. Ex meo quidem animo nulla umquam delebit oblivio memoriam illius diei, ubi iusto tempore exacto venerabilem praeceptorem conveni, gratias acturus pro tot paternae voluntatis documentis. Qui tum complexus fuerunt! quae oscula! quae lacrimae et pia vota ominaque fausta! Omnis tum aberat severitas vultus et gravitas illa, quam in magistro verebamur; omnem metum et pudorem excussit mirifica amoris significatio. Atque hoc tempore apparebat, quam teneros mollesque sensus in intimo pectore foveret is, qui vulgo ab his longe remotus esse videbatur. Nec minus benigne et amice posteris annis illos excipiebat, qui Portenses fuerant alumni, si quando dilectum magistrum viserent. Lubenter etiam eorumdem rationibus consulebat et quocumque poterat modo eos iuvabat atque ornabat.

Tali quidem voluntate et caritate amplectebatur moribus studiisque commendatos sibi discipulos; nec minore pietate et amore prosequebatur eos, quibuscum sanguinis vinculo coniunctus vivebat, quamquam, si res ferret, severe eos habebat natosque neque indulgentia, neque molli facilitate corrumpebat. Quis dixerit igitur, Ilgenium prisci Catonis more nimia fuisse severitate et ab ea humanitate et mansuetudine abhorruisse, quam diligimus in hominibus mollioris animi? Externa tantum species videri nonnullis austera parumve lenis poterat, quibus raro eum videndi copia data erat: amicis plane alius erat. Ista vero austeritas et asperitas, quae inesse in Ilgenio videbatur, animique fervidioris vehementia, quam non raro prae se ferebat, et in disciplina scholastica exercenda severitas, sensim cum annis leniebatur et mitior fiebat atque mollioris animi indoles, quam in intimo pectore insitum habebat, saepius clariusque elucebat quam priore aetate, ubi vereri videbatur, ne hac mollitie quum alios molliret, tum semet ipsum quasi effeminaret atque auctoritati, quam muneris gravitas postularet, aliquantum noceret.

Nec desiderabatur in Ilgenio liberalitas, ducta tamen illa a ratione et consilio, qualis cadit in homines prudentes et considerate agentes. Erat quidem in omni domestica vita frugalis, parcus ac rei familiaris rationem habebat, sed non ita attentus ad rem, ut amantior fuerit argenti, quam hominum. In vita cultuque cernebatur munditia quaedam cum simplicitate copulata. Contemnebat magnificentiam et inutilis

luxuriae instrumenta. In conviviis apparandis, si res postularet, lautus erat, numquam prodigus. In re libraria augenda atque ornanda tantum consumpsit pecuniae, quantum ab homine liberalium studiorum amatore exspectari poterat: nonnullis plus etiam impendisse videbatur quam opus esset. Verum quis tali in negotio certos et numquam revellendos constituat terminos? *Trahit sua quemque*, ut est in proverbio, *voluptas*. Nonne optimi etiam viri ingeniorum voluptati indulgent? Mirifice delectabatur bonis libris nitidaque eorum specie. Nec facile vidi apud scholae magistrum bibliothecam conquisita praestantissimorum librorum copia instructiorem atque elegantiorem. Saepe in ore habebat illud dictum: *Sine literis et libris mors est.* Lubenter et diligenter dicerc solebat de re libraria, cuius iam prima aetate fuerat studiosissimus. Si quid nummulorum superesset, id omne collocabat in libris coëmendis. Unde non mirum, quod accuratam huius rei teneret notitiam, ita ut non facile falli posset. Neque tamen cum iis faciebat, qui copias librarias ostentare eoque aliorum laudem et admirationem elicere cupiunt. Ab hac ridicula ostentatione tam longe aberat, ut occultaret magis thesauros suos nec lubenter aliquem ad eos spectandos lustrandosque admitteret; vix uni et alteri familiarium aditus ad bibliothecam Ilgenianam patebat. Neque promptus ac facilis cuique erat in libris commodandis, id quod saepe reprehendebatur. At habebat, cur esset hac in re paullo difficilior. Usu multo edoctus sciebat, haud paucos doctorum

hominum in tractandis libris esse parum cautos et negligentia sua non leve detrimentum importare libris, quos aliena liberalitate acceptos manibus tererent. Nihil autem Ilgenio magis odiosum erat, quam liber maculis aliisve sordibus turpatus, quam folia librorum sinuata aut laesa simileve vitium culpa lectorum allatum. Haec et alia quum non semel expertus esset, cautus timidusque factus est, ac maluit parum officiosus hac in re videri, quam nova cum dolore suo accipere damna.

Hoc loco non praetermittenda est beneficentia et benignitas, qua succurrere solebat iis, qui vel propter rei familiaris inopiam aliorum ope indigebant, vel adverso aliquo casu eo redacti fuerant, ut per se stare non possent. Si horum quempiam vel beneficio vel commendatione dignum esse reperisset, tantum quantum poterat, in eum conferre non dubitabat. Permultis eorum, qui disciplina et institutione Ilgenii usi erant et ab animo et a doctrina probati, magno postea fuit adiumento, si ad munus publicum aspirantes tam laudati viri auctoritate indigerent, ut tutius, quod volebant, assequerentur. Id vero tam lubenter prompteque faciebat, ut non facile repulsam aliquis ferret. Quot porro adolescentibus ad graviores disciplinas in academia colendas transituris consilio et commendatione prospexerit, nihil attinet pluribus narrare; res nota est ac satis superque testata. Etenim neminem Ilgenio eorum, qui in disciplinam ipsius traditi erant, fuisse amantiorem studiosioremque aio atque affirmo.

Diximus de optimi magistri pietate et virtutis studio, de iustitiae et aequitatis laude, qua idem excelluerit, de mansuetudine porro et molliore animo, a quo non abhorruerit, de liberalitate denique et benevolentia, quam praestiterit iis, quorum mores et ingenia perspexerat. Restat, ut breviter dicamus, quanta fuerit in amicitiis colendis fide, integritate et constantia. His enim, ut supra vidimus, inde a prima adolescentia multum tribuebat Ilgenius. Cum Tullio enim sentiebat, qui, excepta sapientia nihil melius hominibus a diis immortalibus datum esse iudicaret. Prima iam aetate cognoverat, nihil dulcius esse, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum. Nihil magis igitur ipsi expetendum videbatur, quam mutuus candidi amici amor, in quo post actos labores conquiesceret. Et quoniam sine virtute amicitia neque vera, neque firma esse potest, profecto non mirandum, numquam defuisse Ilgenio, qui propter egregia animi ingeniique bona ad eum sese applicarent et iucundam eius consuetudinem quaererent. Vel provectiore aetate nihil suavius ipsi esse solebat recordatione amicitiarum, quas iuvenili aetate cum condiscipulis copulasset. Saepe etiam dolebat, quod partim per muneris officia non liceret crebro epistolarum usu pristinam notitiam recolere, partim locorum intervallis exclusus confabulandi cum iis copia careret. Illi autem dies laetissimi ac vere festi ei accidebant, ubi unus ex pristinis sodalibus ipsum convenisset. Tum totus erat in laetitia et magna cum voluptate, quae ex ore vultuque elucebat, et

ludicra et seria olim communiter acta revocabat eorumque recordatione animum suum pascebat. Tam certus autem, tam fidus erat in amicitia, ut nihil supra. Nullam operam, nullam curam aut laborem fugiebat, si bene de amicis merendi data esset occasio. Neque utilitate, ut saepe fit, amicitias metiri solebat: animi bona, non fortunas et opportunitates intuebatur. Quicquid amicis accideret, ad se quoque pertinere existimabat: cum iis et laetabatur in bonis, et dolebat in adversis rebus. Et ut omnem simulationem atque dissimulationem odio habebat, ita in amicitia Ilgenii nihil fictum erat, nihil simulatum fucatumve.

Vehementer autem errant, qui Ilgenium ad amicitias conciliandas et continendas non satis aptum factumque fuisse opinantur. Nam eadem, quam ante laudavi in Ilgenio, animi quaedam mollities, imprimis praelucebat in voluntate erga amicos, quos ipsa vita habebat cariores. Ista severitas et gravitas oris, quae peregrinos primo aspectu nonnumquam magis deterrebat quam alliciebat, non proficiscebatur ab animi quadam asperitate aut duritie: animus patebat etiam amori, si dignum iudicasset ullum, quem amore prosequeretur. Qui olim Ilgenii amicitia et benevolentia fruebantur, facile, credo, nobiscum facient eumque capacissimum utriusque fuisse, lubenter fatebuntur. Unde etiam factum, ut longe lateque haberet non solum notos, sed etiam amicos, et quocumque venisset, gratus acceptusque esset hospes. Erant enim in Ilgenio abunde virtutes, quae valent

quum ad copulandas, tum ad stabiliendas amicitias: animi candor, integritas, fides, constantia, benevolentia; aberant quae impedire easdem solent atque dissuere, simulatio et dissimulatio, animi levitas, obtrectatio, invidia, suspiciones. Et quum ipse alienus esset ab omni fraude et humili cupiditate, alios quoque bis vitiis vacuos esse censebat. Quoties autem ipsius simplicitas fidesque decepta fuerit, nihil attinet hic persequi uberius. Nihilominus non deterrebatur a gratificandi studio, si cui prodesse posset: malebat damni aliquid accipere, quam parum officiosus videri. Quicquid vero officiorum ab aliis in se collatum esset, id grata memoria retinebat, neque facile opportunitatem gratiae referendae dimittebat. Numquam tamen hominibus, qui non optime de ipso meriti erant, malam gratiam referebat, id quod ab eius animi magnitudine et innocentia plane abborrebat.

Non raro audivi, quum bomines animi morumque Ilgenii non satis periti dietitarent, esse hunc virum parum comem atque affabilem, tetricum plerumque ac morosum. At bi boni viri magno in errore versabantur: secus iudicassent, si aliquam eius notitiam fecissent. Nam licet prae se ferret quamdam animi gravitatem in ore, vultu omnique babitu conspicuam et, si res ac tempus postularet, serio agenda serio administraret, molestos denique interpellatores aut arcere, aut repellere etiam consuesset: tamen idem, simulac se remiserat, neque idonea causa suberat, cur animum in rebus seriis contineret, tam hilaris, tam laetus promptusque ad iocandum ridendum-

que erat, ut saepe mirarentur hospites, eumdem hominem, qui paullo ante Catonis Censorii severitatem referre videretur, repente ad tantam remissionem et prope ad profusam hilaritatem delabi posse. Nec tam inter pocula haec animi hilaritas emergebat, quam potius inter confabulandum cum amicis aliisque sibi notis et gratis hominibus. Imprimis delectabatur acute, facete, lepide salseque dictis vel narrandis vel audiendis. Neque minus oblectationis ei afferebat recordatio annorum scholasticorum, et lubenter repetebat, quae iocularia et ludicra a condiscipulis excogitata olim fuerint. Talia quum per otium referebat, toto ore summa elucebat laetitia tamque miros edebat risus, ut totum corpus concuteretur atque incurvaretur. Tum animadvertere licebat, quam pateret candidus eius animus naturali hilaritati laetitiaeque, et quam longe abesset Ilgenius a morosa severitate eorum, qui nihil nisi tristia et maesta cogitant omnemque laetitiam ex animo expellendam putant, quae nimirum non satis deceat hominem gravem et doctum. Numquam amabiliorem vidi Ilgenium, quam in circulis amicorum, quum ab omni molesto negotio et cura publica se removisset totumque iucunditati sese dedisset. Qua quidem remissione et hilaritate mirifice recreabat animum occupationum multitudine saepe fatigatum.

Ex his vero, quae narravimus de Ilgenii animo et moribus, facile erit ad intelligendum, qualem se praebuerit iis, quibuscum copulatus fuit sanguinis coniunctione. Erga parentes magna erat pietate et

reverentia. Mater ad grandem aetatem non pervenit, id quod valde dolebat amantissimus filius: obiit iam m. Decembri a. 1799 eodem loco, ubi maritus ludi magistri munus gerebat. De hac optima puerilis aetatis nutrice et custode numquam non honorifice et amanter loquebatur. Laudabat eius prudentiam, curam et eximiam erga se caritatem. Pater, diu superstes uxori, insignem filii expertus est pietatem, maxime tum, quum oculorum malo, quod cataractam medici appellant, laboravit. Nam ubi propter valetudinem munere suo, cuius in prima parte vitae Ilgenianae mentionem fecimus, se abdicare coactus est (a. 1801), a filio Ienam arcessitus peritissimi medici arte et opera tantum luminis recuperavit, ut solus ac sine comite foras prodire adeoque libros typis descriptos legere posset. Portam deinde cum Ilgenio deductus complures annos omni cura solutus tranquillam senectutem transegit et largam paterni amoris percepit mercedem. Uxorem et natos vero candidoque prosequebatur amore: alienus tamen erat ab omni genere deliciarum et mollicularum ineptiarum, quibus plus nocetur, quam proficitur, neque vera caritas iudicari potest. Liberorum quidem nemo facile amantior fuit, sed temperabatur amor quadam gravitate; a noxia indulgentia longissime aberat, et vehementer vituperabat parentes, qui prava facilitate puerorum ingenia corrumperent. Si quid levius aut per negligentiam, aut per imperitiam ab iis peccatum esset, verbis magis quam verberibus castigabat. Pigritiam et socordiam ferre non poterat;

licentiam, pertinaciam atque immodestiam graviter reprimendam et coërcendam putabat. Omnem mollitiem et luxuriem, qua nervi corporis pariter ac bonae mentis debilitarentur et quasi eliderentur, a pueritia arcendam omni ratione censebat. Quae tamen severitas numquam excedebat modum, nec Horatiano seni isti comparandus erat, qui

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

a Venusino poëta describitur.

Sequitur, ut eorum causa, qui Ilgenium eiusque vitam non penitus noverunt, paucis narremus, quomodo domi vivere assueverit. Quum inde a prima pueritia in eam adductus esset consuetudinem, ut mature surgeret, mature cubitum iret, idem institutum prope per totam vitam constanter servabat. Itaque, dum aetate et valetudine vigebat, temporibus aestivis hora quinta e lectulo surgebat, per menses hibernos hora fere sexta. Quum ea fecisset, quae cura corporis cultusque postulat — discincta veste numquam solebat domi sedere — confestim ad studia se conferebat, repleta ante et accensa fistula tabaci, qua comite et dulci socia diu carere non poterat. Cuius consuetudinis tanta erat vis, ut esurire quam tabaci usum desiderare mallet. Vidi ego aliquando Ilgenium valde maestum et ad muneris officia obeunda vix aptum, quum misero tempore libertatis maritimam negotiationem celebrandi per imperatorem Francicum ademptae id genus herbae Nicotianae, cui assuetus erat, a mercatore submitti non posset. Conclave autem Ilgenii plerumque fumo tabaci ita

impletum erat, ut intrantes ipsum veluti Iovem Homericum, *Δία νεφεληγερέταν*, in solio collocatum ante pulpitum sedentem videre viderentur. Non minus delectabatur usu pulveris sternutatorii, quem solebat tam crebro tamque abunde sumere, ut satis magnam copiam huius pabuli naribus absumeret. Quapropter thecam satis amplam secum gestabat, unde promeret dulce narium pabulum. Forma huius thecae erat rotunda et simulacro Friderici Magni, regis Borussorum, insignis: et prior quam diuturno usu detrita et inutilis facta esset, eiusdem modi, formae et eadem imagine ornatam fingi sibi curavit novam. Praeterea amantissimus erat potus calidi, quem maiorum memoria ignotum recentiores novo nomine appellarunt Caffeam. Atque his tribus oblectamentis et quasi ingenii stimulis adiuto et excitato studia bene procedebant. Temporibus hibernis, quum annis esset paullo provectior carere nequibat conclavi bene calefacto, nec fenestras aperiri, nec frigidum aërem immitti patiebatur: aestivis tantum mensibus una pars fenestrarum ex pellucido linteo facta, quae libero aëri aditum praeberet. Omnino erat frigoris, ex quo literis fere totum se abdere consueverat, valde impatiens et aestum facilius quam frigora tolerare poterat.

Scholae si habendae ipsi erant matutinis horis, quae ad eas legenda, invenienda literisque consignanda erant, considerate atque diligenter parabat. Erat enim hoc in genere officiorum tam accuratus ac paene tam difficilis, ut satisfacere sibi non facile

posset. Quanta inde redundarit in discipulos utilitas, supra commemoravi. In scholis autem obeundis nemo fuit Ilgenio diligentior, quod testabuntur omnes, qui olim ei operam dederunt. Praeter meditationes, quas scholae requirebant, alia curanda erant negotia ad res scholasticas pertinentia, quae singula dinumerare longum est. In his administrandis non minorem curam diligentiamque collocabat, et nescio an plus etiam temporis et operae interdum iis tribuerit, quam opus erat, id quod postea intelligere coepi, quum ipse simili muneri praefectus essem. At tantum abest, ut eo nomine virum summum reprehendam, ut fidem eius singularem et religionem in cunctis officii partibus explendis magnopere probem atque collaudem. Ad muneris officia accesserunt alia eaque non exigua negotia, quae vix reperias aliis in gymnasiis. Discipuli enim ludi Portensis quum iisdem aedibus cum magistris contineantur, parentes autem et cognati plerumque longe absint; publice institutum est, ut quaecumque praeter cibaria, quibus gratis fruuntur alumni, ad cultum et literariam supellectilem spectant, ab iis praeceptoribus, quorum paternae curae traditi et commendati sunt, procurentur et rationibus ad parentes tertio quoque mense permittendis inferantur. Quae cura rerum domesticarum quantum temporis absumat quamque molesta negotia facessat, dici vix potest. Et quo diligentior aliquis magistrorum erat, eo plus operae et otii in illa re consumebat.

Tot porro Ilgenio legendae et scribendae erant

epistolae et literae, quas vel scholae patronis publice mittere debebat, vel parentibus, qui filios in gymnasium Portense deducturi erant, vel patribus, quorum nati disciplina Portensi iam utebantur, ut non mirandum sit, eum negotiis plerumque ita occupatum districtumque fuisse, ut non multum otii ad privata studia colenda aut ad iucunditates vitae socialis percipiendas superesset. Sed redeamus ad vitae domesticae consuetudinem, quam Ilgenius Portae sequebatur. Post horam antemeridianam duodecimam ad mensam apparatam cum suis et discipulis, quibus pacta mercede victum praebebat, considere solebat. Ibi, qua erat usque ad extremam prope aetatem valetudinis prosperitate, lubenter edebat et quum praeter prandium — nostro more loquor, non Romano — et coenam nihil cibi sumere assuesset, integram ad patinas famem afferebat. Inter coenandum, nisi hospes adesset, raro bibebat: sed post cibum sumptum aliquid rubri vini Francici hauriebat. A prandio, si qua negotia hortarentur et urgerent, statim redibat in museum. Si quid otii datum esset, vel acta diurna legebat, vel confabulando cum suis aut hospite aliquo, vel ambulando per vicini hortuli spatia corpus animumque recreabat, plerumque ea comite, qua aegre carebat, fistula tabaci. Post brevem recreationem animi et corporis sese recipiebat in eum locum, ubi studiis et negotiis suis operari solebat. Extremis annis vitae Portensis post cibum meridianum paullum conquiescere consueverat. Si pomeridianae eum exspectarent scholae, quae tra-

denda aut explicanda erant, magna cura commentabatur. Scholis autem finitis, quae per muneris rationes agenda erant, aggrediebatur et hibernis quidem temporibus abditus chartis et literis in museo remanebat usque ad coenam, quae apponebatur paullo post horam septimam. Quicquid temporis a cibo sumpto usque ad horam octavam supererat, per menses hibernos sermonibus dabat, verno autem et aestivo tempore nisi gravioribus negotiis avocaretur, in horto aedibus adiuncto vel sedere sub umbra tiliarum solebat, vel deambulare. Interdum etiam, otio, anno et coelo invitante extra moenia Portensia ambulabat aut citato potius gressu incedebat, ut qui comitabantur euntem, gressus eius aequare vix possent: verum raro id faciebat, provectiore praesertim aetate. Neque laudabat eorum consuetudinem, qui non semel, sed iterum iterumque vicina Portae loca lustrabant. Putabat nimirum, bonum otium, quod melius doctis studiis tribui posset, crebris ambulationibus distrahi atque adeo perdi. Cave tamen putes, Ilgenium naturae amoenitates parum curasse et a sensu talium rerum abhorruisse. Pro certo affirmare possum, non facile aliquem maiore et admiratione et voluptate spectasse, quicquid suavitatum et oblectationum naturae beneficio mortalibus praebetur. Summa cum voluptate quae ex oculis elucebat optimi viri, spectabat proceras et patulis ramis diffusas arbores, ut quercus, fagos, tilias nec minore voluptate postea ad easdem redibat. Lubenter etiam parietinas arcium priscarum oculis lustrabat earumque fata et historiam cognoscebat.

Inde ab hora octava, postquam in sella aut in lectulo aliquid quietis ceperat, ex more considebat in museo, vel publicas literas scripturus, vel discipulorum libellos Latinos emendaturus, vel, nisi maiora vocarent, ephemerides literarias perlustraturus, aut alia cogniturus, quae animum magis oblectabant quam exercebant. Atque hanc quidem rationem plerumque sequebatur Portae: priore aetate ac sub finem Portensis vitae etiam tempora nocturna lucubrationibus et studiis, quibus delectabatur, impendebat. Non ita multo post horam decimam undecimamve in lectum se recipiebat, et usque ad horam, quae ante dicta est, placidum somnum capiebat. Quo recreatus et firmatus alacriter ea facere instituebat, quae muneris officia postulabant.

Hoc fere institutum in diurnis temporibus dispensandis servabat Ilgenius idque raro mutabat, vel hospitum exoptatorum adventu impeditus, vel itineribus, quae animi causa ingrediebatur, — rarissime tamen Porta per plures dies aberat — avocatus. Extremos postea annos quomodo transegerit, relatum est eo loco, ubi de ipsa vita ipsius narrandum erat.

Quo maiore autem cura, diligentia ac religione tempus ad studia datum inde a prima adolescentia describere et collocare assueverat, eo magis dolebat, si qua particula boni otii periret atque interpellationibus, quae Portae praecipue et crebrae et molestae accidebant, a maioribus negotiis detineretur. Neque profecto est, quod miremur, si propterea paullo gravius nonnumquam iratus fuerit et discipulos non leniter acceperit, qui maiori cuidam rei intentum subito excitarent et levem ob causam intempestive interpellarent. Mitius credo, et iustius de Ilgenii ira iudicabunt, qui multo usu edocti senserunt, quam molestum et grave sit viro rebus seriis occupato omne genus interpellatorum. Saepe enim, si quis meditans

inter doctas chartas sedet, aliqua ingrata interpellatione intercidente, ita turbantur circuli, ut non facile ad easdem, in quibus ante versabatur, cogitationes redire possit. Quod si bene cogitassent certi homines, qui, quod ingressi repente Ilgenii conclave, non satis comiter et benigne ab eo excepti fuerint, ipsum tamquam hominem ab omni liberalitate, affabilitate et facilitate remotum accusarent, aequiores iudices sese praebuissent.

Postremo paucis dicendum est, qua fuerit Ilgenius corporis specie et habitu. Nihil enim dubito, ita gratum me facturum esse non paucis, qui hanc de viro excellentissimo narrationem cognoscent. Ac fuit quidem corpore procero, sicco magis et gracili, quam succi pleno et opimo. Facies non multo sanguine et rubore suffusa erat, et dignitate quadam et liberali forma insignis. Oris lineamenta apparebant, qualia decent virum gravem. In vultu et incedentis et dicentis residebat auctoritas quaedam iuncta cum gravitate tanto viro digna. Aberat tristitia, et, emergente animi laetitia, mira quaedam comitas et hilaritas praelucebat, qua facile sibi conciliaret spectantium audientiumque animos. In fronte cernebatur multum decoris et quaedam maiestas; oculi dum bene valebant, conspicui erant admirabili acie ac vigore. Nasum habebat paullo supra usitatam magnitudinem leviter etiam inflexum. Labra turgidula potius quam compressa dici poterant; dentes non candidulos habebat, sed firmos et sanos. Voce utebatur gravi, robusta et canora; pronuntiabat plane et perspicue, ita ut commode a remotioribus etiam exaudiri posset. Accedente autem aliqua commotione animi, vehementer augebatur vocis sonitus, ut tonare propemodum et fulgurare eius orationem putares. Incessus erat, nisi negotii alicuius gerendi necessitas euntem incitaret, modicus et quodammodo compositus.

Vestitus Ilgenii accommodatus erat ingenii et morum gravitati. Nam ut ipse fuit vir antiqua fide, ita antiquiorem vestium habitum formamque praeoptabat et parum curabat, quem novum ornatum invenerit elegantiorum hominum sollertia. Quod antiquitatis studium nonnullos aut reprehendisse aut risisse scio: sed profecto non video, cur reprehendendus fuerit ille, quippe qui iustis de causis eum sequeretur morem, qui annis, ingenio et dignitati responderet.

Gratum vero quum multis me facturum esse sperarem, qui haec nostra legent, simulacrum Ilgenii manu periti artificis e maiore pictura venerandae Ilgeniae voluntate permissa exscribendum curavi, quod, nisi mei me fallunt oculi, magnam refert ipsius Ilgenii similitudinem. Nec minus gratum erit, quod ductus literarum, quales vir desideratissimus pingere solebat, quam simillimos reddi iussimus.

Sed manum de tabula! Satis enim nobis docuisse videmur, qualis et quantus fuerit Ilgenius, quum eruditionis accuratae et exquisitae copia, tum ingenii felicitate, tum animi morumque candore et singulari probitate, neque ullum fore arbitramur, qui factis viri praestantissimi cognitis, quam praeclare de re literaria et imprimis de schola Portensi meritus sit, facile videat et lubenter fateatur. Cuius similes ut postera aetas videat multos gymnasiorum moderatores liberaliumque studiorum statores, communis felicitatis causa vehementer optamus.

Annotatio.

1) Qui vir maxime venerabilis et de magna puerorum caterva meritissimus, est *Augustinus Magnus Kraft*, per quinquaginta fere annos eius, quam dixi, scholae moderator sapientissimus. Ex disciplina Portensis ludi transgressus in academiam Lipsiensem, ad Ilgenium et morum integritate et studiorum laude commendatum sese applicuit et brevi tam firmam amicitiam cum ipso iunxit, quae usque ad supremum diem mansit illibata. Quum sodalis esset societatis philologicae a Beckio conditae, commilitonum nomine gratulatorium scripsit libellum: ***De notione philosophiae in Platonis* Ἐράσταις *obvia*.** Lips. 1786. 8.

2) De hac calamitate, qua nihil acerbius accidere poterat Ilgenio, postea dicetur.

3) Dicimus *Caroli Georgii Iacobi*, Prof. Portensis, narrationem de *A. G. Langio*, quae praefixa est libro ipsius cura edito: „Dr. Adolph Gottlob Lange's, vormaligen Rectors und ersten Professors der Königl. Preuß. Landesschule Pforta, vermischte Schriften und Reden. Nach des Verfassers Tode geordnet und mit einer Biographie Lange's herausgegeben von Karl Georg Jacob, Doct. d. Philos. u. Prof. an der Landesschule Pforta. Mit 1 Steintafel. Leipzig 1832. 8."

4) Cic. Fam. 15, 6, 1: *„Laetus sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Naevium, abs te, pater, lau-*

dato viro. Ea est enim profecto iucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt."

5) *Jlgen*, maiores Ilgenii nomen suum geminata litera *l* scripsisse narrantur: noster Ilgenius, ut audivi ex filio, primus alteram literam *l* omisit, quum Lipsiensis academiae civis esset. Quod cur fecerit, non compertum habeo. Idem accidit meo nomini, quod ab avo et reliquis maioribus constanter scribebatur *Krafft*. Mutationem induxit unus ex patruis, cuius exemplum secuti deinde sunt ceteri.

6) Cf. Hor. Od. 3, 6, 38 sqq.

7) Hic quidem vir reverendus et de Ilgenio puero bene meritus, luculentiori postea praefectus est muneri in oppidulo Saxoniae Borussicae Landsberg, non ita procul Halis Saxonum sita. Obiit grandi aetate a. 1825 aut 1826.

8) Scholae Numburgensi urbicae illo tempore, quo Ilgenius puer in eius disciplinam traditus est, praefectus erat, quod sciam, idem *Schützius*, qui postea Geram vocatus Rutheneum gymnasium administravit ibique non ita multis annis interiectis obiit. In profectibus Ilgenii iudicandis iusto severior videtur fuisse, id quod adolescentuli animus patienter ferre non poterat. Una cum eo Numburgum deductus est Lötherus quidam, Tromsdorpiensis condiscipulus.

9) Mos ille *horas canonicas* celebrandi ex antiquissimis temporibus, ubi cathedrales illae ecclesiae condebantur, propagatus erat usque ad recentissima fere tempora. Bis terve singulis diebus et statis horis cantabatur, primum horà quinta sextave, deinde hora duodecima pomeridiana et hora sexta vespertina. Loco Canonicorum horas cantare solebant Vicarii, in his etiam discipuli scholae cathedralis natu maiores et symphoniaci chori sodales. Numburgi istae horae regulares tollebantur demum anno huius saeculi millesimo octingentesimo sexto.

10) *Crainum* suum quanti fecerit Ilgenius, intelligi potest ex epistola, quam filio illius Wismariam a. 1829 m. Octobris misit, in qua scripta erant haec: „Ich habe auf der Welt keinen bessern, redlichern und aufrichtigern Freund

gehabt, als Ihren seligen Vater. Es ist also nicht nur der Umstand, daß Sie in Pforta ein Zögling von mir gewesen sind, der mich auffordert, Ihnen das beste Lebensglück zu wünschen, sondern auch ganz besonders, daß Sie der Sohn meines besten Freundes sind."

11) Bene et eleganter de viro immortali narrare coepit ***Carol. Frider. Aug. Nobbe,*** scholae Nicolaitanae, quae Lipsiae floret, Rector clarissimus, qui fuerat olim Beckii auditor et amanuensis, de vita et factis venerandi praeceptoris duobus libellis scholasticis, qui prodiere a. **1834.** Quae scripsit, magnum Beckii cultoribus et amiris desiderium fecerunt et reliqua cognoscendi, quae de ceteris rebus beati viri et publicis et privatis dicere sibi proposuit. Quis melius Nobbio conficere hoc negotium possit? Alteri libello additus est plenus index librorum admirabili Beckii industria editorum isque apte temporis ordine compositus.

12) Ante Beckium similes exercitationes iam instituerat cum selectis studiosis ***Morus,*** non minus doctae antiquitatis scientia, quam sacrarum literarum laude clarus: melius tamen hanc societatem philologicam instituit Beckius. Tandem a. **1809**, quum tertia saecularia academiae Lipsiensis celebrarentur, maxime Reinhardi commendatione et auctoritate factum est, ut societas ista in publicis institutis numeraretur et ***Seminarii philologici regii*** nomine coronaretur. Eius directori annuum stipendium C imperialium constituebatur, duobus primis sodalibus stipendium L imperiales, reliqui XXX imperialibus publice iuvabantur. Illo autem anno, quem diximus, primi sodales societatis philologicae erant: ***Heydenreichius, Sonntagius, Sturzius, Beckius, Friedelius, Scheibius, Poppo, Grimmius;*** ad quos paullo post accesserunt ***Löbelius, Beckerus, Ilgenius, Kraftius.*** Cf. Beckius in libello: ***De consiliis et rationibus Seminarii Philologici.*** Lips. **1809.** p. **46.**

13) Legitur haec commentatio in Ilgenii Opusculis philologicis, quae edita sunt Erfordiae a. **1797.** Tom. I. p. **3—44.**

14) Cf. Opusc. Phil. T. 1. p. 47—88.

15) Iam pridem, ut meruit, in oblivione iacet. Index libelli est: *Hymnus in Apollinem.* Gesang an Apollo. Griechisch mit Anmerkungen von Köhler. Leipzig 1787. 4.

16) Multis, credo, lectorum, quibus non ad manus est Hermanni editio hymnorum Homericorum, gratum me facturum esse confido, si initium et finem doctissimae epistolae libro praefixae huc transscripsero: *Magna cum voluptate recordari soleo illius temporis, quo te, Ilgeni, vir summe reverende, magistrum habui. Nemo enim quisquam est, cui tantum, quantum tibi, debeam, qui simulac me, ferocis ingenii puerum, et ad arma quam ad litteras paratiorem, in disciplinam acceperas, non modo domuisti facillime, sed mox etiam tanto litterarum amore incendisti, ut ex illo tempore nihil his studiis, quibus nunc quoque vir factus teneor, haberem iucundius. Ac nescio litteras ipsarum magis an tua caussa amare coeperim: quod, quum severitatem tuam et iustitia viderem et humanitate temperatam esse, ita mihi maxime placebam, si tuo me iudicio probari intelligerem. Ita factum est, ut et tu me diligeres, quemadmodum etiam nunc diligis, nec mihi quisquam te esset carior. Ac par erat huius amoris, quem nulla absentiae diuturnitas potuit minuere, iam pridem aliquod a me edi monumentum, non quo tu meam erga te pietatem, de qua non dubitare te scio, intelligeres, sed quod aequum esset videretur, ei, cuius institutione primum ad strenuam litterarum tractationem, et, quod maius est, ad honestatem formatus essem, me palam agere gratias. Itaque quum nuper ad Homeri hymnos revocatus essem, in quibus olim, ut scis, tuo hortatu primum puerilis exercitationis posui rudimentum: nihil reperiri posse putavi, quod magis tamquam tuum ad te mitterem, quam si quid in his hymnis, quod operae pretium esset, me observasse sperarem; praesertim quum a te ipso eadem*

carmina amplissimis essent et plenis multiplicis doctrinae commentariis illustrata. — pag. CXXI sq.: *Sed verendum mihi est, Ilgeni, ne abutar patientia tua. Paene enim ad libri magnitudinem haec crevit epistola. Itaque finem faciam scribendi, et ad Aeschylum meum revertar, unde paullisper ad hosce hymnos discesseram. Tu vero hoc munusculum sic accipe, ut ab eo datum cogites, quem amore et pietate nemo eorum, qui te colunt, vincere possit. Nam admiratio quidem tuarum praeclarissimarum virtutum, quibus antiquam scholae Portensis laudem summo patriae et litterarum emolumento ad illud fastigium adduxisti, quod vel propositum habere perpaucis scholis, nedum consequi licet, communis mihi cum omnibus est: illud autem proprium habeo, quod me non modo pluribus, quam alios, ac maioribus tibi meritis obstrinxisti, sed etiam ab ipsa pueritia mea eo es amore complexus, qui paternum aequaret. Quo amore tuo ut nihil mihi dulcius est, ita me, quoad vivam, iure tuum vocabis. Vale, Ilgeni, multosque per annos rege inclitam Portam, amoenissimum illud litterarum domicilium, cuius equidem numquam sine desiderio, etiam propter Langium, collegam tuum, quem scis quanti faciam, recordari soleo.*

17) Hac opportunitate sollemni data scripsit Ilgenius ipse, ut ferebat institutum academiae Lipsiensis, brevissime de vita sua. Haec quidem lectorum gratia hic repetam:

Carolus David Ilgenius, Sehna-Thuringus.

In hoc pago, ad Montem Eccardi sito, natus est a. MDCCLXIII. patre Io. Davide, ludi magistro, matre Anna Rosina Krippendorfia. Ab illo primum, deinde a Meisnero ministro sacrorum Tromsdorfiensi, litterarum elementis imbutus, in schola cathedrali, quae Numburgi est, ingenii cultum accepit a Meiero, Titio, Braunio, Lobeckio et Rittero, quorum in se merita gratus agnoscit. Ibi tum beneficentia utriusque Seebachii, nec non Berlepschii, Consistorii Cizensis Praesidis, virorum Ge-

nerosissimorum, muneribusque non magis, quam meritis, illustrium, sustentatus est: id quod pia mente praedicat. Huc autem quum venisset a. LXXXIII. rectore Burschero, ad auctoritatem Platneri ac Wielandi in philosophicis quidem sese contulit, in mathematicis operam dedit Gehlero, in historicis Beckio et Burschero, in humanioribus Beckio, Reizio et Ernestio sen.; in hebraicis Bosseckio et Dathio, in theologicis Moro. Stipendiis adiutus est, praeter Electorale, Numburgensi ac Cizensi. Praeterea suspicit in se merita S. R. a Meding, item Thomasii et Dathii, cui inde a triennio a manu fuit, Hermanni denique, Scabini et Weissii, ad d. Nic. Diaconi, quorum liberis instituendis servit. Horum omnium singularem munificentiam gratissimo animo prosequitur. Scribendi periculum fecit, edito poëseos Leonidae Tarentini Specimine, disputandi, duabus, Sturzii et Spohnii, Virorum Clarissimorum, Exercitationibus pro cathedra philosophica defensis, cum laude quidem, omnibusque faventibus. Stipendio Misnico a Ven. Dathio, seniore Nationis gravissimo, in se collato factum est, ut magisterii honorum petendorum facultas suppeditaret; quo nomine illi prae caeteris se obstrictum esse ingenue profitetur.

18) Vid. Ilgen. Opusc. Phil. T. I. p. 91—128.

19) Successor Ilgenii fuit ***Henricus Fürstenhaupt***, Numburgensis, nat. d. 23. m. Aug. a. 1752, scholam patriam Milkio Rectore frequentarat et a. 1773 in Lipsiensem academiam migrarat. Tum a. 1782 factus Lycei Luccaviensis Conrector et a. 1794, quum Ilgenius Ienam discessisset, suscepit vacuum eius munus in schola Numburgensi. Hoc munere summa cum fide fungebatur usque ad annum 1808, ubi scholae urbicae consilio et institutis plane mutatis traductus est in scholam eiusdem urbis cathedralem, professoris nomine ornatus. In hac statione eadem laude muneris officia sua explevit et tandem a. 1821 d. 1. m. Mart. non ita multo post obitum carissimae uxoris subito

placideque vita defunctus est. Ipse ego per quattuor annos coniunctissime cum hoc optimo collega vixi inde ab anno **1816—1820**, neque ulla unquam oblivio eius memoriam ex animo meo delebit.

20) Portense munus administrabat inde a. m. Octobri a. **1799** usque ad initium mensis Nov. a. **1817**. Tum Dantiscum vocatus a consiliis rei scholasticae esse coepit ibique obiit d. 15. m. Septembris a. **1831**.

21) Quicquid redibat ex munere publico, nondum aequabat quadringentorum imperialium summam. Unde privatis institutionibus comparare coactus erat, quod ad vitam tolerandam suppeteret.

22) Legitur haec docta hymnorum Homericorum ab Ilgenio editorum et animadversionum in eadem carmina ab Aug. Matthiaeo scriptarum censura in ephemeridibus literariis Ienensibus et quidem in supplementis (Revision der Literatur für die Jahre 1785—1800) a. **1802**. Vol. II. No. **96** sq. Ipse Hermannus de illa censura ad me haec perscripsit: „Später, als ich seine (Ilgens) Ausgabe der Hymnen in der Jenaischen Litteraturzeitung scharf recensirt hatte, war er darüber ganz außer sich und schrieb mir, es hieße, diese Recension wäre von mir: er könne das von seinem Schüler und Freunde nicht glauben u. s. w. Ich antwortete ihm, daß ich nie vergessen würde, was ich ihm zu verdanken hätte; aber die Recension wäre allerdings von mir; in der Wissenschaft jedoch könne ich nur auf die Sache sehen und nicht gegen meine Ueberzeugung sprechen. Er hat sich dabei auch beruhigt und ist nicht minder mein Freund geblieben, als er es vorher war."

23) Index libri est: *Caroli Davidis Ilgenii Philos. et LL. OO. Prof. in acad. Ienens. P. O. et societatis Lat. Ien. sod. Hon. Opuscula varia philologica.* T. I. T. II. Pars prior. Erfordiae, a. **1797**. 8. Vid. Ephemeridd. liter. Ienens. a. **1800**. No. **134**.

24) Hoc Ilgenianum opus ita inscriptum erat: „Die Urkunden des Jerusalem'schen Tempelarchivs in ihrer Ur-

gestalt, als Beytrag zur Berichtigung der Geschichte der Religion und Politik aus dem Hebräischen mit kritischen und erklärenden Anmerkungen, auch mancherley dazu gehörigen Abhandlungen, von Karl David Ilgen, Prof. der Philosophie u. der oriental. Literatur in Jena. Erster Th. Halle 1798. XX. u. 510 S. 8." Censura eius libri inserta est Ephem. liter. Ienens. a. **1799.** No. **182** et **183.**

25) „Die Geschichte Tobi's nach drei verschiedenen Originalen, dem Griechischen, dem Lateinischen des Hieronymus und einem Syrischen übersetzt und mit Anmerkungen exegetischen und kritischen Inhalts, auch einer Einleitung versehen von K. D. Ilgen, der Theol. u. d. Morgenl. Sprachen ordentl. Prof. zu Jena 1800. CCLXVIII. 254 S. gr. 8." Vid. Ephemer. lit. Ienens.

26) *Heimbachius*, Islebiensis, prius quam Portam vocatus est, fuit scholae Afranae, quae Misniae floret, Collega tertius, successit in locum Conrectoris, ***Christ. Gottl. Hildebrandi***, qui Diaconi munus sibi praeoptaret, anno superioris saeculi **1795** habuitque deinde successorem ***Weiskium***, qui ab anno **1781** Cantoris et Collegae quarti sustinuerat.

27) Natus erat ***Reinhardus*** in vico Bohnenstrauss, prope Sulzbacum, quo loco pater sacerdotis munere fungebatur a. **1753.** Scholasticis spatiis Gymnasii Argentoratensis decursis, Vitembergam abiit ibique acerrimo studio felicissimoque successu graviores disciplinas, in primis philosophiam et theologiam, coluit. Ibidem magisterii iura adeptus a. **1778** factus est Adiunctus in ordine philosophorum; deinde **1780** professor philosophiae extraordinarius et paucis annis post professor theologiae ordinarius. Denique a. **1792** Dresdam invitatus honorificum munus assessoris senatus ecclesiastici et oratoris sacri ad aedem aulicam administrare coepit. Quum gravissimam provinciam summa cum laude gessit usque ad annum **1812.** Obiit Dresdae d. **5.** m. Septembris eiusdem anni. Scholis provincialibus quantum pro-

fuerit, inter omnes constat. Cf. Vita Reinhardi a Carol. Böttigero scripta. Dresd. 1813. 4.

28) Hermannus a me rogatus, ut quaedam de Ilgenio mihi narraret, et haec scripsit: „Daß er (Ilgen) das Rectorat in Pforta erhielt, davon bin ich die Veranlassung. Der Oberhofprediger Reinhard trug mir dieses Amt an. Ich antwortete darauf, daß ich zu einem solchen Amte ganz und gar nicht tauge, aber der rechte Mann sey Ilgen. So wurde mit ihm die Unterhandlung angeknüpft, die, da der damalige Ober-Consistorial-Präsident von Burgsdorff andere theologische Ansichten hatte, als Ilgen in seinem Hiob, keinen günstigen Ausgang versprach. Indessen reiste Ilgen doch nach Dresden über Leipzig, um erst mit mir und dem verstorbenen Tittmann zu sprechen. Tittmann rieth ihm, nur frei gegen Burgsdorff seine Meinung zu vertheidigen, was diesem lieber sein würde, als zurückhaltende Furchtsamkeit. Und so hat es auch Ilgen gemacht. Daher der Erfolg der erwünschte war, und die Pforte einen Rector erhielt, wie sie wohl weder gehabt hat, noch leicht erhalten wird."

Augustissimum et Potentissimum

Saxoniae Regem,

Fridericum Augustum,

P. P. O.

Erfordia redeuntem

piis votis

excipiunt

Alumni et Extranei Portenses.

O nos beatos! Te, Patriae Patrem,
Auguste, Clarum Saxoniae Decus,
Portae salutamus iuventus;
Te reducem veneramur ore!

Semper vigil, ne quid veniat secus
Genti Tuorum, Tu acceleraveras,
Herois ut pacem ligaret
Praesidiumque animusque firmus

Terrentis acri fulminis alite
Gentes, videt quas Phoebus uterque, sed
Mirantis Augusti verendum
Relligionis amore numen.

Sic laeta, PRINCEPS, tempora transigas,
Servesque lucem, TE DUCE, redditam
Et patriae Musisque, CARA
MAURITII SOBOLES, avitis.

---

65) Vid. *Schmidtii* et *Kraftii* descr. Port. pag. **124** sqq.

66) Cf. l. c. pag. **170** sq.

67) Vdr. idem liber pag. **171**.

68) Cf. l. c. pag. **168**: Schutzbrief.

„Sämmtlichen Commandanten, Officieren und Partheien der alliirten Armeen, wird mittelst gegenwärtigen Schutzbriefes ernstgemessen aufgetragen, die Ruhe und Sicherheit des Erziehungs-Instituts zu Schul-Pforte auf alle Art aufrecht zu erhalten und alle ihnen zu Gebote stehenden Mittel anzuwenden, um dieser so achtungswerthen Anstalt jenen Schutz angedeihen zu lassen, den sie verdient und sie aller Requisition zu entledigen."

Gegeben im Hauptquartier Naumburg, den **22.** Oktober **1813.**

Sr. kaiserl. apostol. Majestät wirkl. Kämmerer und geheimer Rath, Ritter des goldnen Vließes, Großkreuz des militärischen Maria Theresienordens, des ungarischen königl. Stephans-, des russ. kais. St. Andreas- und St. Georgen- und des königl. preuß. schwarzen Adlerordens, Inhaber eines Uhlanenregiments, Feldmarschall und en Chef commandirender General der verbündeten Haupt-Armee.

Schwarzenberg.

L. S.

Quae literae in tabulam transscriptae et portae loci Portensis affixae sunt, ut facile a praetereuntibus legi possent. Quod ut confestim impetraretur, factum praecipue est opera et studio praefecti Austriaci, *Wagneri*, qui olim fuerat eiusdem scholae alumnus et pietate ductus Schwarzen-

bergio facile persuasit, ut huncce locum conservandum curaret.

Aliquo tempore interiecto missum est ab *Hardenbergio* ad Herbstium oeconomum scholae diploma liberalissime Portensi ludo auxilium spondens et praestans:

„Des Königs Majestät haben mir Ihre Immediat-Vorstellung vom 10. v. M. mit dem Befehl zuzufertigen geruht, mich bei dem Central-Departement der Administration der von den verbündeten Mächten eroberten Provinzen wegen Berücksichtigung des hierin angebrachten Gesuchs um Erlaß der ausgeschriebenen Lieferungen dringend zu verwenden. Ich habe dem zu Folge den Chef desselben, Herrn Staatsminister Freyherrn von Stein dringend ersucht, diese jederzeit in Deutschland sehr geschätzte Anstalt in seinen ganz besondern Schutz zu nehmen und derselben alle nur mögliche Erleichterung in Rücksicht der durch den gegenwärtigen Krieg nothwendigen Lasten angedeihen zu lassen. Ich kann Ihnen daher im Voraus die Zusicherung geben, daß die Conservation der Landesschule zu Pforte vorzüglich von dem genannten Herrn Minister berücksichtigt, und dem zufolge der Administrations-Behörde die erforderliche Instruction ertheilt werden wird. Freyburg in Breisgau, den 31. December 1813."

Hardenberg.

69) Plura qui de ista societate cognoscere cupiant, legendus iis est primus fasciculus commentationum, quae continent narrationem rerum antiquarum a sodalibus vel inventarum, vel illustratarum. Inscriptae sunt: Erster Jahresbericht über die Verhandlungen des Thüringisch-Sächsischen Vereins für Erforschung des vaterländischen Alterthums, vorgetragen in der ersten General-Versammlung seiner Mitglieder d. 28. Jan. 1821. Naumburg 1821. 8.

70) Doctissimus minorum carminum, quae vulgo Maroni olim tribuebantur, editor, *Iulius Sillig*, Vol. IV. Virg. cura Wagneri denuo emendati atque illustrati pag. 284, de Ilgenii animadversionibus recte vereque ita iudicat: *Emen-*

dando atque illustrando carmini praeter Heynium operam dederunt Weitzius, Burmannus Secundus, Wernsdorfius et Ilgenius in animadversionibus philologicis et criticis in carmen Virgilianum, quod Copa inscribitur, Halae 1820 editis, cuius Viri nomen attulisse sufficit, ut, quanta cum doctrina ingeniique acumine scriptae sint, statim intelligatur.

71) Hac de re Ilgenius in annalibus scholae Portensis, qui programmati scholastico additi sunt, haec scripsit: „Auch bei seiner (des Herrn Geh. Oberreg. Rathes Schulze's) dießmaligen Anwesenheit blieb keine der Hoffnungen unerfüllt, mit denen wir seiner Ankunft froh entgegensahen. Auch jetzt wieder erhielten wir die erfreulichsten Beweise von seiner wohlwollenden Güte, von seiner schonenden Milde, von seinem den Lehrer wie den Schüler begeisternden Eifer für die gute Sache, von seiner Alles beachtenden und streng prüfenden Umsicht. Möchte Gott noch lange diesen Mann dem Vaterlande erhalten, möchte er auch fernerhin wohlwollend gegen unsere Anstalt gesinnt bleiben! möchte namentlich es uns gelingen, seinen Wünschen und Absichten überall zu entsprechen!"

*) Insignibus novi ornamenti publice decreti additae erant Altensteinii literae honorifice ac benigne scriptae:

„Ew. Hochwürden erwiedere ich auf Ihr gefälliges Schreiben vom 4ten d. M. ganz ergebenst, wie es mir zu einer besonderen Freude und Genugthuung gereicht, daß des Königs Majestät Ihnen auf meinen Vorschlag den rothen Adler-Orden dritter Klasse zu verleihen, und dadurch auch öffentlich die Verdienste huldreichst anzuerkennen geruht haben, welche Sie sich theils als Gelehrter durch Ihre gründlichen Schriften, theils als Rector um die dortige Landesschule während Ihrer vieljährigen Dienstzeit erworben haben. Der strenge und gewissenhafte Ernst und die umsichtige Sorgfalt, mit welcher Eure Hochwürden nicht blos das Unterrichtswesen, sondern auch vorzüglich die Disciplinar-Verfassung der dortigen Landesschule in einem geregelten Gange zu er-

halten, und die deßfallſigen Anordnungen meines Miniſterii zu verwirklichen und pünktlich auszuführen eifrigſt bemüht ſind, gereicht zu meiner beſonderen Zufriedenheit, und ich habe das vollkommene Vertrauen, daß es Ihren und Ihrer achtungswerthen Collegen fortgeſetzten Bemühungen gelingen werde, den guten Ruf, deſſen ſich die dortige Landesſchule gegenwärtig erfreut, je länger je mehr zu befeſtigen, und auf die Univerſitäten Zöglinge zu entſenden, welche durch die Sicherheit und Klarheit ihres religiöſen Bewußtſeins, durch die Reinheit und Unſträflichkeit ihres ſittlichen Wandels, durch die Gründlichkeit und Gediegenheit ihrer Schulkenntniſſe, und durch eine nachhaltige Begeiſterung für Wiſſenſchaft und wiſſenſchaftliches Leben auf ehrenvolle Weiſe von der Schule zeugen, deren ernſter Zucht ſie ihre Bildung verdanken. — Mit Vergnügen benutze ich dieſe Veranlaſſung, Eure Hochwürden meiner ausgezeichneten Ihnen gewidmeten Hochachtung zu verſichern.

Berlin den 20. Februar 1826.

Gez. Altenſtein."

An
den Konſiſtorialrath u. Rector
Herrn Dr. Ilgen
Hochwürden
in
Pforta.

72) Haud pigebit, quae Ilgenius de laetissimo illo die senserit, ex epistola ad me missa, huc transferre: „Empfangen Sie, mein innigſt verehrteſter Freund, für Ihre mir ſehr angenehmen und erfreulichen Wünſche meinen herzlichſten Dank. Es iſt allerdings der 31. Mai ein merkwürdiger Tag für mich geweſen; allein doch nicht in dem Grade, wie diejenigen, welche mich nur in Pforte kennen, es annehmen müſſen. Meine frühern Aemter ſind mir eben ſo wichtig geweſen, und ich habe darin nicht nur viel Gutes gewirket, ſondern auch manches Unangenehme, was mir in

Pforte begegnet ist, nicht erfahren. Ich hätte also mein silbernes Jubiläum, wenn ich ein Freund von solchen Feierlichkeiten wäre, schon 1814 feiern können. Wie ich nun damahls über den Tag meiner ersten Anstellung ganz in der Stille hinwegging, so wollte ich es auch itzt machen. Dieses ist indessen nicht ganz gelungen. Erstlich war die Installation des neuen Adjunct Dr. Jacobi vor der Thür. Es wollte sich dazu kein anderer Tag schicken, als der 31. Mai. Es wurde mir im Geheim der Wunsch von meinen Herren Collegen mitgetheilt, daß ich diesen Tag zu der Feierlichkeit wählen möchte. Hier wäre es Eigensinn gewesen, wenn ich nicht hätte wollen nachgeben, zumal da ich nicht, ohne mir selbst in meinen Verhältnissen Gewalt anzuthun, ausweichen konnte. Ich betrachtete es also als eine göttliche Fügung, und freute mich im voraus auf einen frohen Nachmittag in Gesellschaft meiner theilnehmenden Collegen. Aber wie wurde ich überrascht, als kurz vor dem Acte mein Sohn von Berlin in mein Zimmer trat, und nach dem Acte der Prof. Hermann aus Leipzig, mein πρωτότοκος. Sie können sich nun denken, mein theuerster Freund, daß meine Freude vollkommen war. Von meiner Unpäßlichkeit, die mir manche Tage von dem Sonntage Palmarum an sehr fühlbar gewesen war, fühlte ich gar nichts." Quibus addere liceat Hermanni, viri summi, eamdem rem laetam ita mihi per literas narrantis: „Als er (Ilgen) in der Pforte sein 25jähriges Amtsjubiläum feierte, wo er alle Feierlichkeiten streng verbeten hatte, trat ich, von Lange eingeladen, unvermuthet bei ihm ein. Da stürzte ihm ein Strom von Thränen aus den Augen, er umarmte mich und konnte lange vor Freude nicht sprechen."

Laeta et festa hac opportunitate oblata epistola gratulatoria publice missa est a Kleewitzio, Consistorii Magdeburgensis praeside:

„Vor fünf und zwanzig Jahren traten Ew. Hochwürden in Ihren Wirkungskreis auf der Landesschule Pforta ein. Mit der dankbarsten Theilnahme wünschen wir Ihnen zu

der frohen Wiederkehr jenes Tages nach fünf Lustren Glück. Die Vielen, welchen Pforta in diesem Zeitraume wissenschaftliche und sittliche Bildung gab, gedenken des verdienstvollen Lehrers und Führers ihrer Jugend heute mit Dank und Freude. Wenn nun Alles, was seit dem Beginn Ihrer Wirksamkeit in Pfortens ehrwürdigen Mauern sanft oder unmild Ihre Empfindungen berührte, vor Ihrer Erinnerung heute vorübergeht, und Sie in Allem die Leitung des Höchsten lobpreisend wieder erkennen: da erfreuen Sie Sich, christlichdemuthvollen Sinnes, auch aller der Segnungen, womit Er gnadenvoll die treue, unermüdete Thätigkeit krönte, die Sie in Zuversicht zu Ihm dem Wohle der Ihrer Leitung vertrauten Anstalt widmeten. So leite Er Sie denn in die fernste Zukunft noch; erhalte und stärke Ihnen Kraft und Muth zur Vollbringung des Werks, das Er Ihnen anwies, bis einst — möge es spät geschehn! — Ihr Tag sich neigt und ein heiterer Abend Sie zur sanften Ruhe von langer, segensreicher Arbeit ruft. —

Magdeburg, den 31. Mai 1827.

Königl. Konsistorium und Provinzial-Schul-Kollegium.

Gez. Kleewitz."

An
des Herrn Konsistorial-Raths
Dr. Ilgen
Hochwürden
in
Pforta.

Ilgenio a munere scholastico abeundi veniam petenti ita responsum est a Kleewitzio:

„Durch ein Rescript des Königl. Ministeriums der geistlichen, Unterrichts- und Medicinal-Angelegenheiten vom 24. v. M. ist Ew. Hochwürden Antrag auf Versetzung in den Ruhestand vom 1. October d. J. ab genehmigt und Ihnen

von diesem Zeitpunkte ab eine jährliche Pension — — — bewilligt. Wir beeilen uns, Ew. Hochwürden von dieser Entscheidung in Kenntniß zu setzen, mit dem innigsten Bedauern, Sie aus einem Wirkungskreise scheiden zu sehen, dem Sie in einem so langen Zeitraume die erfolgreichste und verdienstlichste Thätigkeit widmeten." —

„Durch Ihre Verdienste um die Ihnen anvertraute Anstalt haben Sie Sich ein dauerndes Andenken gestiftet und der Rückblick auf eine segenvolle Wirksamkeit wird Ihnen neben der Aussicht auf ein sorgenfreies Alter bei Ihrem Scheiden aus Ihren jetzigen Verhältnissen Trost und Beruhigung gewähren. Auf Ihrem fernern Lebenswege folgen Ihnen für Ihr Wohlergehen und die Herstellung Ihrer Gesundheit unsere besten und herzlichsten Wünsche.

Magdeburg d. 8. September 1830.

(Gez.) Kleewitz."

Ad Ilgenium Porta discessurum a viro perillustri Kleewitzio humanissime et liberalissime perscripta sunt haec:

„Mit herzlicher Theilnahme habe ich die Nachricht vernommen, daß Ew. Hochwürden zu Anfange des künftigen Monats die Pforte zu verlassen gedenken. So werth Ihnen diese Anstalt geworden, und so viel Gutes Sie in einem langen, langen Zeitraum für dieselbe gewirkt haben: so schmerzlich muß Ihnen allerdings der Augenblick der Trennung, der Abschied von Allem, was Ihnen dort lieb und theuer ist, sein; nur die Erinnerung an eine so ehrenvolle Laufbahn, und die Erwägung, daß diese Veränderung zur ferneren Erhaltung Ihres Lebens und zur Erheiterung Ihres Alters nothwendig war, kann Ihnen Trost und Beruhigung gewähren. Mögen Sie denn der letztern in reichem Maße erlangen; möge es Ihnen entfernt von der Anstalt stets wohl ergehen; seien Sie versichert, daß ich auch ferner an Allem, was Sie betrifft, den wärmsten Antheil nehme, und Ihr Andenken mir immer eine freundliche Erinnerung bleiben wird, wie ich denn

auch hoffe und wünsche, daß Sie der Schule auch fernerhin Ihre Theilnahme widmen werden."

„Selbst persönlich erkenne ich mit inniger Dankbarkeit die Güte, mit welcher Sie vor mehreren Jahren für die Bildung meines einzigen Sohnes in Schulpforte sorgten.

Magdeburg, den 23. März 1831.

(Gez.) Der Geheime Staatsminister Kleewitz."

73) De hoc discessu in programmate scholastico Portensi a. 1831 ita narratur: „Der 9. April war für die Bewohner von Pforte ein schmerzlicher Tag; zum letzten Male erschien an diesem Tage der allgemein verehrte und hoch verdiente Herr Consistorialrath und Rector Dr. Ilgen in der Mitte der versammelten Lehrer und Beamten, um sich, in Folge der höchsten Orts auf sein Gesuch bewilligten Amtsentlassung, nach Berlin in ehrenvolle Ruhe zurückzuziehen. Lehrer und Schüler hatten dem würdigen Greise, der vor 29 Jahren durch sein kräftiges und umsichtiges Eingreifen einen neuen Geist der Zucht und Ordnung in die Anstalt zurückgeführt und sie mit treuer Sorge durch eine so lange Reihe von Jahren in der wechselvollsten Zeit der Schulen geleitet hatte, einen schwachen Beweis der Anerkennung seines hohen Verdienstes geben wollen und zu dem Ende überreichten ihm an diesem Tage die Lehrer eine von dem Amtsnachfolger Herrn Prof. M. Lange verfaßte Festschrift über eine Vase in dem Vasencabinet des Fürsten von Canino, und die Schüler einen silbernen, von dem Goldarbeiter Kind in Weißenfels künstlich gearbeiteten Pokal, auf dessen Fuß, zum bleibenden Andenken des Abschiedstages, die Namen sämmtlicher damals anwesenden Zöglinge eingegraben waren. Möge der verehrte Mann noch lange in heiterer Ruhe und ungestörter Gesundheit auf die reichen Früchte seiner treuen Aussaat in so vielen Gebieten des gelehrten Wissens und in den Herzen so vieler Zöglinge hinblicken!"

74) Eorum causa, qui Langii libellum eleganter scri-

ptum non viderunt, extremam partem hic transscribere visum est:

At quorsum haec omnia, quae leviora fortasse ac ludicra videantur, narramus Tibi, Ilgeni, multis praesertim ac seriis cogitationibus quum maxime occupato? — Nimirum quoniam spe nostra ac voluntate citius instat iam tempus, quo arcta illa officiorum necessitudo, qua Tecum coniuncti adhuc viximus, dirimatur, facere non potuimus, quin Tibi aliquo certe munusculo animum nostrum atque amorem declararemus. „Pateras donandi atque aera non vis nobis, nec Tibi talium res est aut animus deliciarum egens.“ Igitur ex illa, quae Tibi tam grata est, quae ipsi Tibi tantum lucis debet, antiquitate circumspirientibus aliquam quasi tesserulam, qua, ut inter amicos fieri solet, Tibi nostram memoriam commendaremus, nihil vel Tua persona dignius, vel huic consilio convenientius visum est, quam istam tabellam Tibi offerre ac vovere.

Tenuissimum profecto donum, nisi ab interiore eius quodam sensu aliqua commendatio accesserit. Facile autem Te nobiscum in eam sententiam inductum iri speramus, ut in illa dea, quae principem locum in ista pictura tenet, ipsius Portae nostrae effigiem Tibi oblatam putes, cui quod commodius aequiparari possit, vix aliud quiddam tota finxerit antiquitas. Porta enim, ut haec Minerva, a patria, communi nostrum omnium matre, inter parentum gaudia et curas, in sinum suum ac tutelam pueros recipit; quamquam eos non peperit, almae tamen, quae vulgo audit, matris vices praestitura, in secreto adyto eos educatura, et sanctissimis religionis, sapientiae, virtutis artiumque bonarum studiis initiatura. Haec igitur Te a nobis discessum nunc parantem pia gratiarum actione bonisque votis prosequitur, facitque nos quasi sui in Te favoris non minus, quam praesentis doloris futurique desiderii interpretes. Insigni numinis divini benignitate Tibi contigit, ut gravissimis iam Numburgi et Ienae muneribus strenue functus, pluribusque scriptis clarum inter Theologos et Philologos nomen adeptus,

per triginta paene annos scholam Portensem integris viribus regeres, eiusque „antiquam laudem“ — utamur autem, ne nostra nosmet ipsi ambitiosius laudare videamur, Hermanni in epistola publice ad Te data verbis, — „ad illud fastigium adduceres, quod vel propositum habere perpaucis scholis, nedum consequi licet.“ Inter molestissimos labores, inter multa publica ac domestica mala ad Te per tam grande mortalis aevi spatium summa animi constantia tolerata, hoc tamen nactus es solatii, ut in tanto discipulorum Tuorum numero multos haberes, qui Tua cura et disciplina dignos se praestarent, studiisque posthac et moribus honestissimum, quod dari scholae potest, Minerval rependerent; haud paucos Erichthonii illius instar heroicam quasi laudem consequutos, omnes Tui observantia et veneratione plenos. Quorum in pietate iam acquieturus otio meritis Tuis non minus quam affectae valetudini debito, Tuisque precibus per illustres scholae nostrae Antistites honorificentissime concesso, cum Coniuge dilectissima et Constantino Tuo, paternarum virtutum aemulo, diu adhuc et laetus fruere, ut Nestoris Homerici exemplum non modo diserte laudasse, sed etiam feliciter Ipse reddidisse aliquando praediceris. Vale Vir Summe Reverende, et in grata Portae recordatione etiam collegarum, qui adhuc fuimus, Tuorum memoriam apud Te interire ne patiare.

Portae ineunte Aprili
a. MDCCCXXXI.

Vale.

Lange. Wolff. C. T. A. Iacobi.
Schmieder. Neue. Koberstein. Nalop.
Steinhardt. A. Iacobi. Buttmann.
Lorentz. Büchner.

75) Multis Latinae poësis studiosis quum gratum me facturum esse sperarem, si Ilgenii filii carmen repeti curarem, huc transferendum curavi:

Patri Optumo Dilectissumo

Carolo Davidi Ilgenio

Theologiae ac Philosophiae Doctori Artium Liberalium Magistro Potentissumi Augustissumi Borussorum Regis in Consistorio Magdeburgensi Consiliario Academiae Ienensis quondam Professori Publico Ordinario Scholae provincialis Portensis nuper Rectori Ordinis Equestris Aquilae Rubrae Insignibus ornati Tertiae Classi adscripto

diem natalem septuagesimum

a. d. XXVI. mensis Februarii MDCCCXXXIII

feliciter fausteque agendum

pie solemniterque gratulatur

Ernestus Constantinus Ilgenius filius.

Berolini, typis Trowitzschii et filii.

Τί γὰρ πατρὸς θάλλοντος, εὐκλείας τέκνοις
Ἄγαλμα μεῖζον — —;

Haemonis verba in Soph. Antig.

Si quid iuventae tempore fervidae
Tentante primas pollice lusimus
Chordas, verecundaque voce,
Salaisin minus approbari,
Cui, monte amoeno blanda iocantium
Adsibilante murmura frondium, —
Si non recusantem propinqua
Miscuerat philomela cantum —
Praesente mitem vos Heliconiae
Dedistis aurem numine virgines:
Iam reddite, o multum carendam,
Reddite iam citharam, precamur.
Non tangere impar molior ardua;
Non ire pennis Icariis iuvat,
Quo Phoebus audacem volatum
Ferre vetat nimium propinquus.
Haud invidentis furta rebellium
Canum catervis, plura petentibus
Et dente bellaci minantis
Et validum iniicientis unguem,

Fulvi Leonis cedere nescia ac
Maiora damnis pectora, te modis,
Quos ultimi auscultent nepotes,
Te iubeat celebrare Clio,
Quo nemo laurum imponere dignior
„Iusto ac tenaci propositi viro.“
Tecumque certabit renatus
Maeonium renovare carmen,
Aequalibus qui pendere lancibus
Momenta Martis ancipitis sciens
Nec nobilem Aiacis receptum,
Hectora nec silet occidentem.
Seu Tu, quem inani funere vindicat
Excisa Graiis arx Priami dolis
Fumantibusque exsul ruinis
Dux pius, exsoluisse pugnae
Mavis decorae carmina debita,
Qua de latebris pulsa ruentibus
Satisque venantum cohorti
Faucibus ignivomis timenda
Prorepsit *ursa*, credere se agmini
Dignans potenti; iam catulos vides,
Illudere audaces ligatae,
Sanguinis ante animaeque parcos,
Latratu inermem carpere nobili! —
At ille, iussis qui sapientibus
Scit fulminatricem volucrem
Mittere et in nimium superbos
Regum triumphos, et revocare iter
Praeceps parantem terribili impetu,
Compescit iram, orantis otium
Esse memor moderator orbis.
Quem *Laureatum* si *Patriae Patrem*
Salvum precatur civis amor pii,
Dircaea contendisse cycni
Carmina grandisoni recusant.

Cui sanctius, quam qua accola Seqnanae
Fastidiosa laetitia furens
Charta, vel Anglus possidere
Iura perennia gloriatur,
Corde in paterno stant tabulae, gravi
Licentiae quae servitio eximunt,
Legum asserentes liberarum
Imperio, populos beatos.
— Non haec modestae dicere fas lyrae,
Ipso vetante. Me legere arctius
Littus decet, contractiora
Vela dedisse scapham beatum;
Me, si paternum rideat os mihi,
Nec Musa Patri displiceat mea,
Mercede lauro dulciore
Gaudia grata remunerentur.
Sis alme salvus Tu genitor mihi,
Septena quem bis lustra superstiti
Iunxisse vitae, liberorum
Iam pietas celebrare gestit.
Forti dolores pectore demove
Nimis fideles parcere tristibus,
Nuperque de morbo triumphans
Luce frui reduci memento.
Annorum honesto iure senilium
Emtoque iustis legibus otio,
Sementis aerumna solutus
Carpere nunc moneare fructus.
Amore partus quaerit amor Tibi
Referre adeptis pignoribus pias
Grates, et inviti vetantur
Demeritas memorare laudes,
Divinae alumnos quos Sapientiae
Musisque votam spem patriae sacris
Gestans verecundo *Alma Mater*,
Auspice Te, gremio educavit.

Nec diffitetur Te iuvenis ducem,
Legem sonoro qui numero tulit,
Fines et antiquis regundo
Hellados ac Latii loquelis
Iudex acutus, nunc nimium diu
Praestare differt Aeschyleae fidem
Sponsam Camenae. Disciplinae
Sala suos iuvenes relictus
Te, ter fidelem, muneribus Tuae
Orbasse plorat: sed colit advenam
Spreae recentem, iamque amicum
Copia nobilium virorum.
Parcens negatis dicere filio,
Testudo, gratam laetitiam sona,
Gaudeque praesentis parentis
Voce pia penetrare ad aures.
Preces feramus nos Genio, patris
Natale qui astrum temperat arbiter,
Iucunda sperantes futura
Usque boni memores recepti.
At mitte curas, Tu pater Ilgeni,
Ventura laetus prospice tempora,
Vitamque vitalem tueri,
Debita dona Tuis, memento.
Fortes senectam perfer in ultimam
Annos, dolosus debitor ac malus
Naturae, — ut elapsus minanti
Naufragio mare per quietum
Laetatur aurae flamine navita
Ferri iocosae vela tumentia,
Neque in propinqui tuta portus
Iam nimium properare curat.

Non meum quidem est, mi pater commentariolum addere carmini, quo Tibi, quamvis solemnium non nimis amanti, ut septuagesimum certe diem natalem publice gratularer, permissum iri speravi. Inesse tamen diffiteor versiculis meis, quae vel Tibi, vel quisquis

haec legere dignabitur, obscuriora videantur. Quae sive nolentibus nobis exciderunt, sive volentibus placuerunt, ne tamen morentur quemquam, haec adiicienda censuimus.

V. 21. et v. 41. Quae, *magna modis tenuare parvis* veriti, Horatio, Homero, Virgilio cauenda reliquimus, ea ut commentariolo etiam diluamus, neminem speramus imperaturum.

V. 22. A nemine pulcrius quam a Venusino poëta cum

Fortuna saevo laeta negotio
Ludum insolentem ludere pertinax

tum fortis animi constantia nobilis mihi descripta videtur Odarum l. III. c. 3. v. 1—8.

V. 31. cf. Iliad. *Λ*. 544—574. X. 306—330.

V. 34. cf. Aen. II.

V. 47. . . . . . Ministrum *fulminis* alitem
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit,

(Hor. Carm. IV. 4, 1. ss.) etiamnum *tropaeis* apud Borussos insidere gaudentem legionis *Fulminatricis* praedicatum non esse inique laturum, speramus.

V. 53. Facile intelliges, carmen populare: *Heil Dir im Siegerkranz* hic respici. Cuius Latinam interpretationem ante hos duos annos amplius a me factam cum et Tibi, mi pater, et amicis nonnullis probatam, cunctationem meam, imperfectum quasi opusculum relinquentem, improbatam viderim, faciendum putavi, ut carmen, cuius tres tantum priores strophas prelo mandaveram, hic subiicerem integrum.

V. 87. Sunt qui amice succensuerint Tibi, qui neque eum Diem, quo Portam Tibi quinque per lustra secundis auspiciis rectam gratulaturi fuerant, festum agi volueris, neque eum, quo a Te ipsis, et ab ipsis Tibi Porta discedenti vale dicendum erat, passus sis solemniore apparatu celebrari.

V. 91. Porta suis alumnis *Almae matris* nomine celebrata.

V. 101. Tribus variis deinceps muneribus fungens Numburgi, Ienae, Portae, nunquam tamen Salana ex valle discesseras.

V. 107. *Θείη καὶ καλὴ ὄψις γονέων.*

Perictione Pythagorea apud Stobaeum.

Haec hactenus. Vale.

Carmen Borussorum populare

Heil Dir im Siegerkranz

in latine redditum.

**Sis salvus lauriger,
Tu patriae pater;
Rex, salvus sis!
Splendens imperio
Te Tuo populo
Dilectum gaudeas
Rex, salvus sis!
Non arx, non legio
Regum fastigio
Praesidium.
Amore patriae
Munitum liberae
Ceu rupes pelagi
Stat solium.
Flagra perpetuo
Ardore patrio,
Borussia!
Fortes confligimus,
Uniti vincimus,
Laetantes morimur,
Pro patria.
Ars cum commercio
Stant in fastigio,
Te auspice.
Virtuti meritae
Praebentur laureae,
Nunquam non sospites,
Te iudice.
Tuorum civium
Diu praesidium
Ac decus sis.
Splendens imperio
Te Tuo populo
Dilectum gaudeas
Rex, salvus sis!**

---

76) Quo animo erga Ilgenium fuerit Stürenburgius et quanti fecerit praeceptoris ingenium et eruditionem, testari possunt, quae ex praefatione editionis librorum de officiis hic reddenda putavimus:

Rudolphus Stuerenburg

Carolo Davidi Ilgenio,

Viro illustri,

S. P. D.

Ad Te potissimum, Vir illustris, misi hunc libellum, cum non modo nemo sit, cui declarare magis cupiam observantiam, verum etiam Tu tantam mihi et cum versarer in schola Portensi et postea praestiteris benevolentiam, satis ut erga Te gratus possim esse numquam. Quodsi Tibi, cuius elegantissimum iudicium semper suspexi, probari hoc opusculum potuerit, impetravero, quod optaveram quam maxime. Quantam vero lucem Tu, vir illustris, quem excellere et ingenio et doctrina apud omnes constat, Ciceronis operibus possis afferre, cum omnes sciunt, qui interfuerunt Portae lectionibus, Tuis Tullianis, tum ego nuper rursus expertus sum luculentissime. Etenim cum alia per litteras disputaveris acutissime, tum aliquot locos Ciceronis orationis pro Archia, de quibus ipse in editione mea male iudicaveram, ita emendavisti, ut coniecturas nesciam ingeniosiores. Atque illae quidem Tuae litterae cum me in iudicando, quid verum, quid falsum sit, multo effecerint cautiorem magnusque inde redundaverit fructus ad hos ipsos libros de Officiis, non potui, quin hoc potissimum loco egregias emendationes, quas ibi proposuisti, cum hominibus doctis communicarem. Quamquam autem vehementer dolendum est, quod hoc loco summae tantum Tuarum disputationum, quarum ne verbo quidem caruerim, potuerunt afferri: tamen cum veritas luceat, ut aiunt, non dubito, quin ii, qui de his rebus possint iu-

dicare, primo aspectu sint intellecturi, quam conieceris egregie.

77) Ipse Störenburgius, qua est humanitate, de Ilgenii valetudine hasce ad me misit literas Latinas, quas lectoribus huius libri gratas fore confido:

Rudolphus Stuerenburg

Friderico Carolo Kraftio

S. D.

Rogatus a te, ut, quod de extrema Ilgenii vita scirem, tecum communicarem, libenter tibi satisfacere conatus sum, quamquam vereor, ne et panciora, quam expectaveris, et, quae pauca afferre potuerim, parum scite commemorasse videar. Sed eo libentius de moribundo Ilgenio enarrandum esse putavi, quod non modo aliis, sed mihi ipsi me satisfacturum esse arbitrabar. Omnia enim, quae ad illum virum pertinebant, cum omnes, quibus notus erat, tum eos maxime, quibus carus erat (fuit autem Ilgenius omnibus fere, quibus notus erat, carus) solebant commovere. Atque inter eos quidem, quibus carissimus erat, ego quoque me numerari cupio, quem paterno semper amore sit prosecutus. Quae igitur et rogatus a te et pietate erga Ilgenium ductus tibi scripsi, benevolo te animo accepturum esse certo scio.

Mense Sextili anni millesimi octingentesimi tricesimi quarti cum Wismaria, quo eram a senatu huius urbis invitatus ad ostendendum, possemne discipulos docere, Lipsiam redire instituissem, Berolinum adii, ut et urbem illam nondum a me cognitam et Ilgenium meum viserem, quem aliquot iam menses oculis privatum esse omnes commiserabantur. Illic cum paucos dies commorarer, Ilgenium quotidie conveniebam aliquantumque temporis apud eum consumebam. Qui quamquam semper fere hilari erat animo, tamen, qui aderant amici, lacrimis temperare vix poterant recordantes illius temporis, quo Ilgenii oculorum lumen in intima pectora penetrasset. Sed quo caecior erat nox oculorum, eo magis

splendebat lumen ingenii. Cum omnia fere, quae ad litterarum progressus pertinerent, ab amicis sibi legi cuperet, saepe fiebat, ut egregia quaedam admisceret, in quibus et ingenii acumen et vim memoriae admirabamur. Illud autem maxime nos movebat, quod, quamvis esset certum, lumen oculorum amissum numquam senem recuperaturum esse, tamen interdum ita loquebatur, ut ipse quidem sperare videretur contrarium. Quod sive eam ob caussam fecit, ut spem redderet amicis, sive revera speravit, nos quidem certe vel admiratione vel dolore capiebamur. Iam vero libros ad antiquitatem pertinentes, in quibus aliquantum scriptores profecisse sibi persuasisset, numquam desiit comparare. Atque me ipsum quidem etiam atque etiam rogabat, ut rarum quendam librum, quem casu quodam amisisset, Lipsiae studerem recuperare. Tantus erat in illa calamitate metus eius, ne quando librum desideraret! Quotiescumque autem soli eramus, aut de rebus ad philologiam pertinentibus aut de Porta nostra sermones conferebamus. Video eum subridentem cum ei narrarem, illud „An omnes adsunt?“ quod non solum Portenses omnes, sed omnino omnes Latine scientes parum recte dici diu scissent, cedere iam non modo voci „Omnesne adsunt?“, sed barbarae dictioni „Cunctine adsunt?“; discipulos autem verum tenentes respondere pergere „Omnes adsunt.“

Laetus aspectu senis venerabilis Lipsiam proficiscor, ubi cum viginti fere dies commoratus essem, Wismariam rediturus Berolinum remeabam. Godofredus autem Hermannus cum discessuro mihi hoc diceret „Quam tibi invideo venerabilis viri aspectum!“, non sane putabat, aspectum mihi imminere miserrimum. In ipso iam itinere audio, Ilgenium apoplexia iterum correptum animam agere. Propero domum Ilgenii. Uxor me aspecto lamentari coepit. Rogo ante lectum mariti me ducat. Anhelitus est moribundi. Lineamenta oris vix mutata. Subito somnus eum relinquit. Alloquor, agnovit. Narro eum alia, tum quod Godofredus Hermannus digressuro mihi dixit. Qua Hermanni voce mi-

rum quantum movebatur. Mox in somnum recidit atque per totam noctem et sequentem diem anhelitum vix sufferebat. Filius, qui aliquot iam menses iter faciebat, per singulas horas expectabatur. Litterae enim, patrem in vitae discrimine versari, ex aliquot diebus in omnes urbes, per quas filium verisimile erat profecturum esse, missae erant. Obitum Ilgenii non vidi. Nam ad vesperam diei decimi quinti mensis Septembris, posteaquam faciem moribundi ultimum memoriae mandavi, Wismariam profectus sum. Paucis post diebus Carolus Keilius, vir amicissimus, qui cum antea, tum in illa miseria a latere senis numquam fere discesserat, hoc mihi scribebat, die decimo septimo eiusdem mensis hora decima ante meridiem Ilgenium, posteaquam proximo mane filius advenisset, e vita discessisse. Contigit igitur filio, ut, si non loquentem, at anhelantem reperiret patrem. Quod quamvis triste fuerit, tamen solatio erat, praesertim cum visus esset pater filium agnovisse. Vale.

Scripsi Wismariae mense Martio
anno MDCCCXXXVI.

---

78) Godofredus Hermannus vera erga Ilgenium suum pietate ductus in ephemeridibus Lipsiensibus obitum praeceptoris hisce verbis indicavit: „Am 17. September starb zu Berlin, in den letzten Jahren des Augenlichtes beraubt, nach einem wiederholten Nervenschlage ein Mann von großer Gelehrsamkeit, durchdringendem Scharfsinn, strenger Gerechtigkeit, kräftigem, gewaltigem Charakter, der Consistorialrath, Dr. Karl David Ilgen. Ruhmvoll und erfolgreich war sein Wirken, und groß und innig ist der Dank, den mit mir, dem Ersten seiner Schüler, die Vielen ihm nachrufen, denen er nach mir als Rector der Stadtschule zu Naumburg, als Professor der orientalischen Sprachen und der Theologie in Jena, und in dem langen Zeitraume, in welchem die Schulpforte unter ihm als die ausgezeichnetste Pflanzschule ernster und gründlicher Wissenschaft blühte, Leh-

rer, Führer, Freund war. Allen wird er unvergeßlich, Allen sein Andenken bis an das Ende des Lebens theuer bleiben."

Prof. Dr. Gottfried Hermann.

79) Ex monumentis Convivii Portensis duo carmina hic repetere liceat, quae cunctis, credo, Ilgenianae disciplinae alumnis grata erunt atque exoptata:

Inferiae Caroli Davidis Ilgenii
manibus sacratae.

Plangite, Thuringi, lugubri pectora cantu:
Occidit Ilgenius, Thuringae gloria gentis.
Natus in Husanis frangebat vomere glebas.
Hic quantam natura sinu vim conderet, atque
Qua res lege novas pareret divina creatrix,
Ipse suis oculis vidit; quantumque hominum vis
Praestaret bruto pecori, nunc robur equorum
Tractando didicit, nunc bucera saecla domando.
Tunc animo certum, nullo nil semine nasci,
Naturae ignaris tantum miracla videri.
Sic Cincinnati crevit similisque Catonis.
Flete, sacri pueris fagosa cacumina mentis,
Occidit Ilgenius, summa pietate sacerdos.
Insignem pietate virum, qui ex igne penates
Troianos tulerit tergo carumque parentem,
Carminibus multi collaudavere poëtae.
Me mea Musa iubet virtutem dicere nati
Ilgenii, qui, quid vere sit amare parentes,
Nos docuit, patri faciens meliora senili
Otia, quam quae sors solet assignare magistris;
Quique ita dilexit natos, ut numina Salae
Infelix peteret teneras rapientia nymphas.
Plangite Portanae lugubria pectora Musae:
Occidit Ilgenius tactus vi Panis iniqua.

Venerat in lucum Portensia sacra tegentem
ILGENIUS noster, perfundens lumine claro
Omnia, quae sacris fuerant cooperta tenebris.
Vix oculis mystae fidebant, ipsa videntes
Nec iam tecta suo velamine lumina sacro.
Sed Pan, silvarum custos, ceu lumine laeso,
Caesis arboribus luci et caligine pulsa,
Saeviit, atque irae condens sub corde dolores,
Crudeles animo decrevit sumere poenas.
Hei, hei, Portanae lacrimas effundite Nymphae:
Occidit ILGENIUS, verae virtutis imago.
Primo pugnabat Saturnia vertere regna
Iuppiter, alta voce tonans, revocansque negatum
Legibus obsequium fastiditisque magistris.
Undique mox pulsa stolidae feritate iuventae,
Stabat inoffensus formidatusque timendis
Victor Centauris, et ius dicebat Olympo.
Ilgenio splendente suis victricibus armis
Auspice, Dii reliqui maiores atque minores
Gentibus edomitis victores imperitabant.
Flete, sacrum laticem Portae statione tenentes
Naïdes; ILGENIUS fato concessit acerbo.
Annuerant cuncti regali numine Divi
Fascibus ILGENII, spondebant adfore nullum
Imperio finem cesso mortalibus umquam.
Tantum Pan, nemori raptae caliginis ultor,
Impulit arte Deas, ut vellent fallere Phoebum.
Invictus hic turbans pacemque chorumque Camoenis
Adiunxit decimam numerique modique patronam
ILGENIO, cui sponte sua regna capessere tentat.
Musae collacrimate antiquo semine cretae;
Occidit ILGENIUS, vobis dilectus amicus.
Unus homo Portae luctando sustinuit rem,
Ilgenius, studiis dispensans tempora iusta,
Consiliis studia et naturae viribus aequans.
Sed tamen usque suo Pan Phoebo vellicat aures.

Nec mora; Sol mittit, sibi qui sua regna reposcant,
Quae piget huic tribuisse viro, virtute potenti
Audentique Diis spretis concidere lucos.
Sed genus omne suis excludit moenibus ille,
Pestis et incantatores hominesque profanos.
O lugete, quibus fuit altrix Porta beatis;
Occidit Ilgenius, patris cognomine dictus.
Denique qui mundum collustrat lumine Phoebus,
Iratus nimium Portae lucentibus astris,
Accensis facibus puerum conscendere currum
Iussit et in coelo reliquis fulgentius astrum
Perdere paullatim et vitalem exurere succum.
Ilgeniusque peti sese vi sensit iniqua;
Humanis opibus se vertere posse Deorum
Iras desperans, baculo subnixus agresti,
Alter Tiresias nati vestigia pressit.
Ergo, Portenses, animis deponite luctum:
Occidit Ilgenius nobis, sibi vivere coepit.
Nunc patet Ilgenio nova coeli Porta beato:
Intrat amicorum magna stipante caterva.
Ante alios manes *Langus* placidissimus oris
Conspicitur, fidus lateri *Gernhardus* adhaeret:
Schmidtius hinc unus subit, illinc volvitur alter,
Nunc quoque Romanus civis, reliquique sodales.
Sic stant perpetuo, nec iam discedere possunt,
Incipiunt rursus splendere; feruntur in auras;
En, sidus pendent, *Coelestis Porta* vocatum.
Sic, age, Portenses, in gaudia vertite luctum:
Ilgenius felix abiit, quo tendimus omnes.

Carol. Frid. Aug. Nobbe.

Den Manen Jlgen's.

Ach sie haben
Einen guten Mann begraben
Und wohl mehr, als das.

Ja mehr, unendlich mehr! Die Stätte
Ist heilig, wo ein Edler ruht,
Auch unsers Jlgen's Schlummerbette
Steht unter höh'rer Geister Hut;
Wie sich im nahen Ruhehafen
Noch Gellert's Grab dem Blicke zeigt,
So wird auch Er in Frieden schlafen,
Nicht von Vergessenheit erreicht.

Wohl kenn' ich eine traute Stelle,
Ach, die umschlöss' sein Grab so gern,
Wo seines Geistes Sonnenhelle
Geleuchtet wie ein guter Stern;
Von dort zu Jünglingen und Greisen
Voll Schmerz die treue Mutter spricht:
Laßt ruh'n die Saiten ihn zu preisen;
Sein Leben ist sein Lobgedicht.

Doch nein! Sei es in fernen Zonen
Sei es im theuern Vaterland,
Wo bied'rer Pförtner Herzen wohnen,
Sind auch dem Liede sie verwandt,
Sie lagen All' an Einem Busen,
Und hörten Ein belehrend Wort;
Begeist'rung, das Geschenk der Musen,
Lebt wie sie selbst unsterblich fort.

Drum laßt auch mich den Schleier lüften
Von dem umflorten Saitenspiel,
Zu weilen an geliebten Grüften
Ist ein erhebendes Gefühl;

Laßt legen auf das Grab des Todten
Mich der Erinn'rung Epheukranz,
Für Liebe, die Er mir geboten,
Sei ihm geweiht der Thräne Glanz.

So lange zu dem Reich des Schönen
Empor des Geistes Fittig strebt,
Der hohe Name der Hellenen,
Und Latium's Gedächtniß lebt;
So lang ein Räthsel unsrer Tage,
Der Pyramiden Wunderbau
An uns die Hieroglyphensprache
Noch richtet aus der Vorwelt Grau;

So lange noch die Zauber walten,
Die tief ergreifend das Gemüth,
Beim Laut des Liedes sich entfalten;
So lang der Dichtkunst Fackel glüht;
So lang zu seinen Idealen
Der Genius den Blick entführt,
Und Kunst und Wissenschaft mit Strahlen
Der Weihe noch ein Herz berührt:

So lange wird sein Name leben:
Denn edle Früchte zu erbau'n,
Ward seinem Geiste es gegeben,
Tief in des Wissens Reich zu schau'n;
Da dunkelte nach langem Mühen
Schon hier auf Erden sich sein Blick;
Er starb, die Finsterniß zu fliehen,
Kehrt er zum Quell des Lichts zurück.

Dich aber, deren zarte Blüthen
Er stets gepflegt mit treuer Hand,
Als Schutzgeist mög' Er dich behüten,
Für deinen Ruhm zum Unterpfand.

O Pforta, liebe Schatten steigen
Aus der Vergangenheit herauf,
Gedenk ich dein — O laßt mich schweigen —
Mein Schmerz löst sich in Thränen auf.

Ludwig Julius Neubert,
Dr. iur. Lips.

80) Permissam ad me prolixa voluntate viri summe venerandi oratiunculam, quum non paucis lectorum gratam fore existimarem, hic repetendam eam curavi:

In dem Herrn Geliebte!

Durch Gottes unabänderliche und unerforschliche Fügung ist es geschehen, daß wir uns hier zusammenfinden am Sarge eines Mannes, der die reinste Hochachtung seines Wesens und Wirkens, die innigste Verehrung seiner Eigenschaften und Verdienste in uns Allen zurückgelassen hat. Wissen wir uns selbst bei dem Ungemach, worauf wir vorbereitet sind, dann, wann es kommt, für den Augenblick nicht zu fassen, und mußte daher die Nachricht von dem längst nicht mehr unerwarteten Hinscheiden unsers Freundes uns immer noch zu früh kommen und uns in den gerechtesten Schmerz versetzen, so können wir doch, als Christen, nicht trauren wie die Heiden, die keine Hoffnung haben; so finden wir doch bei dem ernsten Nachdenken, wozu wir uns erheben, in seinem Leben selbst so Vieles, was uns bei seinem Tode trösten und unsern Schmerz in eine sanfte Wehmuth verwandeln kann. Dies ist insonderheit die weise Gnadenerweisung Gottes, die sein Leben von seinem Anfang bis zu seinem Ende durchstrahlt, so daß wir nur das treue Bild seines Daseins und Wirkens uns vergegenwärtigen dürfen, um die Spuren der unendlichen Güte Gottes von allen Seiten darin zu entdecken und es zu erkennen, wie groß und herrlich, wie mächtig und gnädig er sich an diesem seinen treuen Diener verherrlicht hat, so daß auch auf ihn zu beziehen ist, was Gott selbst bei den Propheten spricht: „ich

habe dich je und je geliebet; darum habe ich dich zu mir gezogen aus lauter Güte."

Diese Liebe von Seiten Gottes und dieser Zug nach Gott von seiner Seite zeigte sich an unserm Freunde schon in den vielen Anlagen seines Geistes und Herzens, die er mit warmer Anstrengung zu hoher Vollendung in sich entwickelte, in der Wahl seines Berufes, worin er der Wissenschaft Gottes sich widmete und sich an ihm bewährte, was der Sohn Gottes sagt: „es kann Niemand zu mir kommen, es sei denn, daß ihn ziehe der Vater," und in seiner ganzen Gemüthsart, in der die Offenheit und Empfänglichkeit für alle Seiten des Lebens mit starker, innerer Selbstständigkeit, die treue Benutzung der anvertrauten Gaben mit der bereitwilligsten Anerkennung des Fremden, der strengste Ernst und Eifer des Nachdenkens mit der fröhlichsten Heiterkeit des Sinnes vereinigt war. Solche edle Eigenschaften verfehlten auch nicht, eben so bald bemerkt und anerkannt zu werden, und schon bei seinem ersten, öffentlichen Erscheinen n einem Zeitpunkte, wo eine deutsche Hochschule den höchsten Glanzpunkt ihres Ruhmes und ihrer nur zu bald vergangenen Blüthe erreichte, finden wir ihn in der Verbindung mit den gelehrtesten und ausgezeichnetsten Männern der Zeit, die zum Theil jünger, als er, längst im Grabe ruhen, theils noch jetzt am Leben, durch ihre hohe Stellung im Staate und in der Wissenschaft ausgezeichnet, ihm Freundschaft bis an sein Ende bewahrt und erwiesen haben. In einen ausgebreiteten Wirkungskreis zog ihn Gott, da er ihn an die Spitze einer großen Lehr- und Erziehungs-Anstalt berief, in der er selbst erst seine reichen Kräfte vollständig entfalten und den ihm anvertrauten göttlichen Segen über eine große Schaar seiner Sorge und Pflege übergebenen Jünglinge verbreiten konnte. Mit welcher Treue und Liebe hat er da gewirkt und den überlieferten, eigenthümlichen Geist dieser Anstalt stets zu bewahren gesucht und den angeerbten Namen und Ruhm derselben vermehrt durch den seinigen! wie zart und rücksichtsvoll hat er seine Stellung als Vorgesetzter

mit dem gemeinsamen Wirken des Lehrers und Amtsgenossen, so wie den Sinn christlicher Milde mit der nöthigen Strenge gegen die Zöglinge zu vereinigen gewußt! O! entweder noch Jünglinge oder als schon gereifte Männer in Amt und Würden, durch die entferntesten Gegenden Deutschlands zerstreut — wie schmerzlich wird sie die unerwartete Kunde seines Todes berühren, wie lebendig das theure Andenken an ihren väterlichen Freund und Führer in ihren dankbaren Gemüthern erwachen, wie tief werden es alle, die seiner Leitung sich einst erfreuten und jetzt ihm Ehre machen, fühlen, wie viel sie ihm zu verdanken haben, welch einen bildenden Einfluß schon die Anschauung seines persönlichen Wirkens in der Nähe seiner Berufstreue, seiner unverdrossenen Thätigkeit auf sie ausgeübt hat und wie selbst der donnernde Ton seiner Stimme nur der Ausdruck seiner liebreichen Gesinnung, seiner zärtlichsten Fürsorge war. Sehen wir endlich auf sein persönlich häusliches und Familienleben, so finden wir auch da bestätigt, was der Prophet sagt: Gott hat ihn je und je geliebet; darum hat er ihn zu sich gezogen aus lauter Güte, so finden wir ihn in stiller Einsamkeit beschäftigt bald mit der Nationalliteratur der Hebräer, über die er uns die schätzbarsten, scharfsinnigsten Aufschlüsse gegeben, bald mit der Erforschung der heiligen Sprachen und der übrigen des unvergänglichen Alterthums, bald mit Eifer sich vertiefend in den Geist des christlichen Glaubens, dessen Heiligkeit und Vernünftigkeit er im gleichen Maß anerkannte und an welchem er, als davon nothwendig ausgehend das Licht und die Freiheit des Gedankens über Alles schätzte; wir sehen ihn aber auch aus allen Anstrengungen des Geistes mit seiner gewohnten Heiterkeit, Biederkeit und Gemüthlichkeit zurückkehren zu den täglichen Geschäften seines Berufs und in den Kreis seiner Familie, und ob ihn da manches herbe Mißgeschick traf, so hielt ihn doch die gediegene Frömmigkeit seines Herzens aufrecht, so stand er doch als ein Christ stets fest, selbst unter den bittern Verlusten von Kindern, welche dem Erbfeinde des Menschengeschlechts

abzutreten und zu überlassen, gewiß die herbeste der Prüfungen ist, durch die uns Gott an sich zieht. Auch von dieser Seite hatte er doch die Huld und Vatergüte Gottes zu preisen, die sein sinkendes Leben nun erblühen ließ in einem durch Wissenschaft und Gelehrsamkeit ausgezeichneten Sohn, der selbst noch aus der Ferne herbeieilen konnte, das fliehende Leben des theuern Vaters mit seinen kindlichen Thränen zu begleiten und den als einen theuren Ersatz für so viel Opfer Gott, der Allgütige, der trauernden Mutter und Wittwe erhalten wolle.

So ruhe denn aus, du treuer Kämpfer für Wahrheit und Recht, für Freiheit und Licht, für Jünglingsglück und allgemeines Menschenwohl; ruhe sanft neben den beiden größten Männern unsers Jahrhunderts, mit denen du im Leben und Streben früh vereinigt warst; ruhe mit ihnen den langen, düstern Schlaf bis zum dereinstigen, seligen Auferstehen, wie unser Heiland verheißen: „wer an mich glaubt, der wird leben, ob er gleich stürbe."

Der Herr segne dich und behüte dich! Der Herr lasse sein Angesicht leuchten über dir und sei dir gnädig! Der Herr erhebe sein Angesicht auf dich und gebe dir seinen Frieden! Amen.

81) Eorum gratia, quibus libri Ilgeniani non in promptu sunt, liceat hoc loco triplex specimen Latinitatis proponere, Lipsiensis, Ienensis, Portensis. Primum quidem sumatur ex libello, quem Lipsiae scripsit a. 1788 Carol. Gottl. Sontagio munus apud Rigenses suscepturo gratulaturus, de choro Graecorum tragico pag. 49 sq.:

Quum nulla sit ars, cuius non vel parens vel nutrix Graecia fuerit, tum vero poëseos, si non natales, certe curam praecipuam et miram illam ex naturae praeceptis conformationem sibi vindicat; ut mirandum non sit, omnes deinde gentes, ubi ad literarum et poëseos studia excolenda animum appulissent, Graeca exempla trivisse et Graecos magistros sibi sequendos putasse. Nullum vero est poëseos genus, quod Graecos, et imprimis Athenienses, vel magis

